

**PROPRIUM MISSARUM
ORDINIS
FRATRUM DISCALCEATORUM
BEATÆ MARLÆ VIRGINIS
DE MONTE CARMELO**

EDITIO TYPICA ALTERA

Romæ
Apud Curiam Generalem O.C.D.
2025



**DICASTERIUM DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM**

Prot. 726/23

**ORDINIS FRATRUM DISCALCEATORUM
B. MARLÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO**

Instante Reverendissimo Patre Michaelē Márquez Calle, Præposito Generali, litteris die 7 mensis ianuarii 2025 datis, vigore facultatum huic Dicasterio a Summo Pontifice LEONE XIV tributarum, textum editionis alterius Proprii Missarum eiusdem Ordinis lingua *latina* exaratum, prout in adiecto exstat exemplari, perlibenter recognitum declaramus.

In textu imprimendo inseratur ex integro hoc Decretum. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hoc Dicasterium transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Dicasterii de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 16 mensis iulii 2025, in memoria beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

✠ Victorius Franciscus Viola, O.F.M.
Archiepiscopus a Secretis

✠ Aurelius García Macías
Episcopus Subsecretarius



**DEFINITORIUM GENERALE
ORDINIS FRATRUM DISCALCEATORUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO**

Prot. N. 2025/326 DF

Calendarium hoc particulare et Proprium Missarum Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo exarata sunt iuxta Normas in Instructione *Calendaria particularia* (24 iunii 1970), in Notificatione *De Cultu Beatorum* (21 maii 1999) atque in Decreto *Postquam Summus Pontifex* (22 octobris 2021) contentas.

Calendarium particulare *recognitionem* obtinuit Dicasterii de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum decreto diei 2 mensis octobris 2023 (Prot. N. 600/23), postea Proprium Missarum recognitum est decreto diei 16 mensis iulii 2025 (Prot. N. 726/23).

Hæc editio pro usu liturgico Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo typica existimanda est; simul atque edita erit, adhiberi poterit et obligatoria fiet a die 30 mensis novembris 2025, Dominica I Temporis Adventus.

Romæ, die 15 mensis augusti 2025, in sollemnitate Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

P. Michael Márquez Calle, O.C.D.
Praepositus Generalis

P. Angelus Lanfranchi, O.C.D.
Secretarius Generalis

CALENDARIUM
ORDINIS FRATRUM DISCALCEATORUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO

IANUARIUS

- 4 *S. Cyriaci Eliæ a S. Familia Chavara, presbyteri** *In domibus Indiæ:* Memoria
- 8 *S. Petri Thomæ, episcopi*
- 9 *S. Andreæ Corsini, episcopi* *In domibus Italiæ:* Memoria
- 27 *S. Henrici de Ossó y Cervelló, presbyteri*

FEBRUARIUS

- 4 *B. Mariæ Eugenio a Iesu Infante Grialou, presbyteri*
- 24 *B. Iosephæ Naval Girbés, virginis*

APRILIS

- 17 *B. Baptistæ Spagnoli, presbyteri*
- 18 *B. Mariæ ab Incarnatione Avrillot, religiosæ* *In domibus Gallicæ:* Memoria
- 23 *B. Teresiæ Mariæ a Cruce Manetti, virginis*
- 28 *B. Mariæ Felicitatis a Iesu Sacramentato Guggiari Echeverría, virginis*

MAIUS

- 4 *Bb. Angeli Mariæ Prat Hostench, Lucæ a S. Iosepho Tristany Pujol, presbyterorum, et sociorum,¹martyrum* *In domibus Hispaniæ:* Memoria

* **Quando non indicatur gradus celebrationis, fit Memoria ad libitum**

¹ Ex Ordine Fratrum Discalceatorum B.V.M de Monte Carmelo: Georgius a Sancto Iosepho Bosch Verdura, Iacobus a Sancta Teresia Gascón Bordàs, Romualdus a Sancta Catarina Guillamí Rodó, Eduardus a Iesu Infante Farré Masip, Gabriel ab Annuntiatione Balcells Grau, Antonius Maria a Iesu Bonet Seró, Alphonsus a Sacro Corde Mariæ Arimany Ferrer, Petrus Tomas a Virgine Columnæ de Fortón y de Cascajares, Aloisius Maria a Virgine Mercedis Minguell Ferrer, Iosephus Maria ab Angelis Alarcón Ruiz, Elipius a Sancta Teresia Arce Fernández, Petrus a Sancto Elia de Heriz Eguiluz, Vincentius a Cruce Gallén Ibáñez, Eufrasius a Iesu Infante Barredo Fernández, Eusebius a Iesu Infante Fernández Arenillas, Nazarius a Sacro Corde Iesu del Valle González, Petrus Iosephus a Sacris Cordibus Jiménez Vallejo, Raimundus a Virgine Carmeli Grijalvo Medel, Tirsus a Iesu Maria Sánchez Sancho, Ioannes a Iesu Vilaregut Farré, Franciscus ab Assumptionis Segalà Solé, Silverius a Sancto Aloisio Gonzaga Perucho Pontarró, presbyteri; Ioannes Iosephus a Iesu Crucifixo Pàfila Montlleó, Marcellus a Sancta Anna Masip Tamarit, Ioachim a Sancto Iosepho Casas Julià, Damianus a Sanctissima Trinitate Rodríguez Pablos, Iosephus Cecilius a Iesu Maria Alberich Lluch, Angelus a Sancto Iosepho Fort Rius, Carolus a Iesu Maria Barrufet Tost, Melchior a Iesu Infante Martín Monge, Felix a Virgine Carmeli Gómez de Pablo, Placidus a Iesu Infante Collado Oliver, Daniel a Sancta Passione Mora Nine, Iosephus Augustinus a Sanctissimo Sacramento Mateos Sánchez, Ermilus a Sancto Elisæo Rodríguez Calle, Elisæus a Iesu Crucifixo Cuevas Casquero, Perfectus a Virgine Carmeli Domínguez Monge, Clemens a Sacris Cordibus López Yagüe, Constantius a Sancto Iosepho Mata Luis, Iosephus Maria a Perdolente Álamo Jiménez, Bartholomæus a Passione Olivé

16 *S. Simonis Stock, presbyteri*

In domibus Anglo-Hiberniæ: Memoria

22 *S. Ioachimæ de Vedrunga, religiosæ*

24 *S. Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*
S. Gregorii VII, papæ

25 *S. Mariæ Magdalenæ a Verbo Incarnato de' Pazzi, virginis*

Memoria

29 *B. Eliæ a S. Clemente Fracasso, virginis*

IUNIUS

7 *B. Annæ a S. Bartholomæo, virginis*

In domibus Hispaniæ: Memoria

12 *Bb. Alphonsi Mariæ a S. Spiritu Mazurek, presbyteri,*
et sociorum, martyrum

In domibus Poloniæ: Memoria

14 *S. Elisæi, prophetæ*

B. Mariæ Candidæ ab Eucharistia Barba, virginis

26 *B. Mariæ Iosephinæ a Iesu Crucifixo Catanea, virginis*

IULIUS

10 *S. Henrici*

12 *Ss. Ludovici Martin et Mariæ Azeliæ Guérin, coniugum*

13 *S. Teresiæ a Iesu Fernández Solar, virginis*

In domibus Chiliæ: Memoria
Festum

16 *B. MARLÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO,*
PATRONÆ ET TITULARIS ORDINIS NOSTRI

Sollemnitatis

17 *Ss. Teresiæ a S. Augustino Lindoine et sociarum,² virginum et martyrum*

Memoria

Vivó, religiosi; Isidorus Tarsà Giribets, Aloisius Domingo Oliva, Bonaventura Toldrà Rodón, Iulius Alameda Camarero, Fratres Carmelitarum Instructionis. Ex Ordine Fratrum B.M.V. de Monte Carmelo: Elisæus Maria Maneus Besalduch, Anastasius Maria Dorca Coromina, Eduardus Serrano Buj, Ferdinandus Maria Llovera Puigsech, Albertus Maria Marco Alemán, Carmelus Maria Moyano Linares, Iosephus Maria Mateos Carballido, Elisæus Maria Durán Cintas, Iosephus Maria González Delgado, presbyteri; Maria a Patrocinio Sancti Iosephi Badía Flaquer, virgo; Petrus Maria Ferrer Marín, Andreas Maria Solé Rovira, Michael Maria Soler Sala, Ioannes Maria Puigmitjà Rubió, Petrus Thomas Maria Prat Colldecarrera, Elisæus Maria Fontdecava Quiroga, Iosephus Maria Escoto Ruiz, Elia Maria Garre Egea, Ludovicus Maria Ayet Canós, Angelus Maria Presta Batlle, Eufrosinus Maria Raga Nadal, Daniel Maria García Antón, Silvanus Maria Villanueva González, Adalbertus Maria Vicente Muñoz, Aurelius Maria García Antón, Franciscus Maria Pérez Pérez, Angelus Maria Reguilón Lobato, Bartholomæus Fanti Maria Andrés Vecilla, Angelus Maria Sánchez Rodríguez, Iacobus Maria Carretero Rojas, Elisæus Maria Camargo Montes, Iosephus Maria Ruiz Cardeñosa, Antonius Maria Martín Povea, Raymundus Maria Pérez Souza, Petrus Velasco Narbona, religiosi.

² Sanctus Ludovicus Brindeau, a Iesu Crucifixo Piedcourt, Carlotta a Resurrectione Thouret, Euphrasia ab Immaculata Conceptione Brard, Henrica a Iesu de Croissy, Teresia a Corde Maria Hanisset, Teresia a Sancto Ignatio Trézel, Iulia Ludovica a Iesu de Neuville, Maria Henrica a Providentia Pelras, Costantia a Iesu Meunier, Maria a Sancto Spiritu Roussel, Sancta Martha Dufour, Sanctus Franciscus Saverius Vérolot, Catharina Soiron, Teresia Soiron.

- 18 *S. Apollinaris, episcopi et martyris*
- 19 *S. Birgittæ, religiosæ*
- 20 S. ELLÆ PATRIS NOSTRI, PROPHETÆ Festum
- 23 B. Mariæ Virginis, Matris Divinæ Gratiae Memoria
- 24 *Bb. Mariæ a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García,
Mariæ a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero et sociarum,³
virginum et martyrum*
- 27 *S. Titi Brandsma, presbyteri et martyris*
- 28 *B. Ioannis Soreth, presbyteri* *In domibus Gallicæ:* Memoria

AUGUSTUS

- 3 *Ss. Xysti II, papæ, et sociorum, martyrum
S. Caietani, presbyteri*
- 7 S. Alberti a Drepano, presbyteri Memoria
- 9 S. Teresiæ Benedictæ a Cruce Stein, virginis et martyris Memoria
In domibus Europæ: Patronæ Europæ Festum
- 18 *Bb. Leonardi Duverneuil, Michaelis Aloysii Brulard,
Huberti a S. Claudio Gagnot, presbyterorum, et sociorum, martyrum*
- 23 *S. Ludovici
S. Iosephi de Calasanz, presbyteri*
- 25 S. Mariæ a Iesu Crucifixo Baouardy, virginis Memoria
- 26 *In transverberatione cordis S. Teresiæ a Iesu matris nostræ*

SEPTEMBER

- 1 S. Teresiæ Margaritæ a S. Corde Iesu Redi, virginis Memoria
In domibus Italicæ: Festum
- 11 *B. Mariæ a Iesu López de Rivas, virginis* *In domibus Hispanicæ:* Memoria
- 17 S. ALBERTI HIEROSOLYMITANI,
EPISCOPI ET LEGISLATORIS ORDINIS NOSTRI Festum

³ Maria ab Angelis a Sancto Iosepho Voltierra Tordesillas et Teresia a Iesu Infante et Sancto Ioanne a Cruce García y García.

- 18 *S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiae doctoris*
S. Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiae doctoris

OCTOBER

- 1 S. TERESIÆ A IESU INFANTE, VIRGINIS ET ECCLESIAE DOCTORIS Festum
In domibus Galliae: Sollemnitas
- 15 S. TERESIÆ A IESU MATRIS NOSTRÆ,
VIRGINIS ET ECCLESIAE DOCTORIS Sollemnitas
- 30 *B. Mariæ Teresiæ a S. Iosepho Tauscher, virginis*

NOVEMBER

- 5 *B. Franciscae de Ambrosia, religiosæ*
- 6 *S. Nonii a S. Maria Alvares Pereira, religiosi* *In domibus Lusitaniæ:* Memoria
- 7 *B. Francisci a Iesu Maria Iosepho Palau y Quer, presbyteri*
- 8 *S. Elisabeth a S.ma Trinitate Catez, virginis* Memoria
- 13 *S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiae doctoris*
- 14 OMNIUM SANCTORUM ORDINIS NOSTRI Festum
- 15 *In Commemoratione Omnium Defunctorum Ordinis Nostrī***
- 19 *S. Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri* Memoria
- 25 *B. Annæ a Iesu Lobera Torres, virginis*
- 29 *Bb. Dionysii a Nativitate, presbyteri, et Redempti a Cruce, religiosi, martyrum*
In domibus Indiæ et Indonesiæ: Memoria

DECEMBER

- 10 *S. Damasi I, papæ*
- 11 *S. Mariæ Mirabilis a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, virginis* Memoria
- 14 S. IOANNIS A CRUCE PATRIS NOSTRI,
PRESBYTERI ET ECCLESIAE DOCTORIS Sollemnitas
- 16 *B. Mariæ ab Angelis Fontanella, virginis*

** Quando hæc commemoratio incidit in dominicam, ad ferias sequentes, iuxta Normas de Missis Defunctorum, transferri potest.

APPENDIX

APRILIS

In domibus Poloniae:

24 B. *Teresiae Mariae a Cruce Manetti, virginis*

IULIUS

In domibus Europae:

7 B. *Mariae Virginis, Matris Divinae Gratiae*

Memoria

In domibus Hispaniae:

24 *Bb. Mariae a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García, Teresiae a Iesu Infante et S. Ioanne a Cruce García y García et Mariae ab Angelis a S. Iosepho Voltierra Tordesillas, virginum et martyrum*

AUGUSTUS

In domibus Hollandiae:

2 S. *TERESIAE BENEDICTAE A CRUCE STEIN, VIRGINIS ET MARTYRIS*

Festum

In domibus Hispaniae:

16 B. *Mariae a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero, virginis et martyris*

In domibus Galliae:

30 S. *Mariae a Iesu Crucifixo Baouardy, virginis*

Memoria

In domibus Poloniae:

30 *In transverberatione cordis S. Teresiae a Iesu matris nostrae*

NOVEMBER

In domibus Austriae:

16 *In commemoratione omnium defunctorum Ordinis Nostri*

In domibus Poloniae:

20 S. *Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri*

Memoria

In domibus Austriae et Germaniae:

23 S. *Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri*

Memoria

PROPRIUM DE SANCTIS ET BEATIS

Quando non indicatur gradus celebrationis, fit Memoria ad libitum

IANUARIUS

Die 4 ianuarii

S. Cyriaci Eliæ a S. Familia Chavara, presbyteri

In domibus Indiæ: Memoria

Cyriacus Chavara, patria Indus, in provincia ortus Kerala (1805-1871), una cum aliis cœnobium Carmelitarum Mariæ Immaculatæ, necnon Congregationem Sororum Matris Carmeli condidit. Totum per suæ vitæ curriculum operam in Ecclesia Syro-Malabarensi spiritualiter reformanda enixe collocavit. Vir fuit orationi deditus, zelo erga Eucharistiam animatus, sanctam Virginem singulari excolens pietate. A Francisco, anno 2014, in Sanctorum album relatus est.

Ant. ad introitum

Cf. Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me,
sanáre contrítos corde.

Collecta

Dómine Deus, qui beátum Cyríacum Elíam presbýterum
ad Ecclésiæ unitátem firmándam excitásti,
eius intercessióne, nobis concéde,
ut Sancti Spíritus luce illustráti,
témporum signa sapiénter dignóscere
atque evangélicum núnctium inter hómínes
verbo et ópere diffúndere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Maiestátem tuam suppliciter implorámus, omnípotens Deus,
ut, sicut glóriam divínæ poténtiæ
múnera pro beáto Cyríaco Elia obláta testántur,
sic nobis efféctum tuæ salvatiónis impéndant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummationem sæculi,
dicit Dóminus.

Post communionem

Sumpta mystéria, quæsumus, Dómine,
ætérnis nos præparent gáudiis,
quæ beátus Cyriacus Elia
fidéli dispensatióne promérui.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 8 ianuarii
S. Petri Thomæ, episcopi

Annum circiter 1305, in provincia Galliæ Petragorica meridiana natus, adulescens 20 annorum Ordinem Carmelitarum ingressus est. Anno 1345, procurator generalis apud curiam Avenionis factus est. Anno 1354 Pactarum ac Liparæ episcopus creatus, haud semel peregre missus est cum ad pacem confirmandam, tum ad unionem cum Ecclesiis Orientalibus promovendam. Anno 1359, id factum est ut, munere quidem Legati Pontificii in Orientalibus provinciis perfunctus, sedem Coronen, in Peloponnesiaca provincia, transtulerit. Anno 1363 archiepiscopus Cretensis, anno insequenti patriarcha Latinus Costantinopolitanus creatus est, quo quidem dum officio fungitur, nomen sibi meruit apostoli unitatis Ecclesiæ. Diem obiit supremum in insula Cypro, Famagustæ, anno 1366.

Ant. ad introitum

Col 3, 15

Pax Christi dominétur in córdibus vestris,
ad quam et vocáti estis in uno cörpero; et grati estóte.

Collecta

Deus, qui beátum Petrum Thomam episcopum
ad pacem componéndam
et christianórum unitátem promovéndam
ardénti spírítu replésti;
præsta, ut eius imitatióne et intercessióne,
fidei integritátem exhibeámus
et vínculum pacis fidénter inquirámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Conda nostra, Dómine,
igne cælésti cleménter inflámma,
et concéde,
ut, per hæc sacra mystéria,
unitátis et pacis dona cónsequi mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

1 Cor 10, 17

Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus,
omnes enim de uno pane participámur.

Post communionem

Huius mystérii virtúte,
confirma, Dómine, fámulos tuos in pace et unitáte,
pro quibus beátus Petrus Thomas laboráre non déstitit
et vitam suam impéndit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 9 ianuarii
S. Andreae Corsini, episcopi
In domibus Italiae: Memoria

Natus Florentiae, saeculo XIV ineunte, Carmelitam sese professus est in suae ipsius urbis coenobio; anno autem 1348 Tusciae Provincialis factus, anno insequenti episcopus Faesulanus creatus est. Summa cum charitate diocesim regens, zelo cum apostolico, prudentia, erga pauperes charitate se gessit. Die 6 ianuarii, anno 1374, vita postremo functus, in Sanctorum album anno 1629 ab Urbano VIII relatus est.

Ant. ad introitum

Is 52, 7

Quam pulchri super montes
pedes annuntiantis et praedicantis pacem,
annuntiantis bonum, praedicantis salutem.

Collecta

Deus, qui pacificos revelasti filios tuos esse vocandos,
praesta, quaesumus,
ut, intercedente beato Andrea, miro pacis ministro,
illam instauramus sine intermissione iustitiam,
quae sola firmam pacem sponte et veracem.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

Super oblata

Pratende munera, quaesumus, Domine, altaribus tuis
pro beati tui Andreae commemoratione proposita,
ut, sicut per haec beata mysteria illi gloriam contulisti,
ita nobis indulgentiam largiaris.
Per Christum Dominum nostrum.

Ant. ad communionem

Iob 29, 15-16

Oculus fui caeco et pes claudus;
pater eram pauperum
et causam viri ignoti diligentissime investigabam.

Post communionem

Clementissime Deus,
populum tuum, caelesti pane refectum,
subsidiis pacis confirma,
et, beato Andrea episcopo intercedente,
ad quietem aeternam pervenire concede.
Per Christum Dominum nostrum.

Die 27 ianuarii
S. Henrici de Ossó y Cervelló, presbyteri

Henricus de Ossó y Cervelló, die 16 octobris 1840, in oppido Vinebre in Catalonia natus, sacerdos factus est die 21 septembri 1867. Puerorum apostolus in catechesi, societatum laicorum instinator, necnon animarum rector, sanctæ Teresiæ a Iesu, orationis magistræ, spiritali fascinatione captus est. Anno 1876 Societatem sanctæ Teresiæ eo quidem condidit consilio, ut feminas iuxta disciplinam Evangelii consiliumque ipsius sanctæ Teresiæ effingeret. Navitatis editoria gratia, novorum temporum præco habitus, magna ac multa peressus, animam Deo reddidit in oppido Gilet (in provincia Valentina), die 27 ianuarii 1896. In Sanctorum album a Ioanne Paulo II anno 1993 relatus est.

Ant. ad introitum

Cf. Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me: propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me,
sanáre contrítos corde.

Collecta

Deus, qui in beáto Henrico, presbytero
contínuæ oratiónis spíritum
et apostólicam vivéndi formam
mirábiliter coniunxísti:
ipso intercedénte, concéde,
ut in dilectióne Christi iúgiter manétes,
Ecclésiæ tuæ ore et ópere serviámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Illa nos, quæsumus, Dómine, divina tractántes,
Spíritus Sanctus fidei luce perfúndat,
qua beátum Henricum ad glóriæ tuæ propagatiónem
iúgiter collustrávit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Io 15, 4-5

Manéte in me, et ego in vobis, dicit Dóminus.
Qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum.

Post communionem

Sacris mystériis reféctos,
da nos, quæsumus, Dómine beáti Henrici exémpla sectári,
qui te indeféssa pietáte cóluit,
et pópulo tuo imménsa prófuit caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.

FEBRUARIUS

Die 4 februarii

B. Mariæ Eugénii a Iesu Infante Grialou, presbyteri

Henricus Grialou natus est Albini, in provincia Galliae Veroniana, die 2 decembris 1894. Sacerdos creatus, doctrina sanctæ Teresiæ a Iesu Infante necnon sancti Ioannis a Cruce adeo est devictus, ut ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingredi sibi constituerit. Nonnullis igitur et localibus et generalibus expletis muneribus, Carmelitarum deinde Discalceatarum visitator apostolicus necnon fœderationum Galliae adiutor factus est. Ab anno autem 1955 in Instituto sæculari, quod ipse anno 1932 condiderat, Nostræ Dominæ a Vita solidam operam collocare potuit. Die 27 martii 1967 Vendasci, ubi postea sepultus est, vita functus est. In Beatorum numerum, anno 2016, a Francisco relatus est.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 131, 9

Sacerdotes tui, Dómine, induant iustítiam,
et sancti tui exsúltent.

Collecta

Deus, dives in misericórdia,
qui beáto Mariæ Eugénio grátiam et lumen dedísti
ad pópulum tuum ducéndum
per sémitas contemplatiónis necnon Evangélii nuntii
ad Christi plenitúdinem,
nobis concéde, eius intercessióne,
ut invaléscere in docilitáte erga Sanctum Spíritum
atque óperam in fide pro Regni tui advéntu impéndere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Præténde múnera, quæsumus, Dómine, altáribus tuis
pro beáti tui Mariæ Eugénii commemoratióne propósita,
ut, sicut per hæc beáta mystéria illi glóriam contulísti,
ita nobis indulgéntiam largiáris.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Lc 12, 42

Fidélis servus et prudens,
quem constitúit Dóminus super famíliam suam,
ut det illis in témpore trítici mensúram.

Post communionem

Mensa cæléstis, omnípotens Deus,
in ómnibus festivitátem beáti Mariæ Eugénii celebrántibus
supérnas vires firmet et áugeat,
ut et fidei donum íntegrum custodiámus,
et per osténsam salútis trámitem ambulémus
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 februarii
B. Iosephæ Naval Girbés, virginis

Iosepha Naval Girbés nata est in oppido Algemesino, in Hispaniæ archidiœcesi Valentina, die 11 decembris 1820. A prima usque adulescentia se totam Domino consecravit, sese voto scilicet adstringens castitatis. Viam sibi percurrere constituit et orationis et evangelicæ perfectionis, vitam quidem cum simplicitatis tum ardentis nempe caritatis agens. In apostolica communitatis paroecialis opera semper generose et largiter incubuit. Suam autem domum, ubi domicilium habuit, quasi officinam, immo scholam orationis necnon evangelicarum virtutum effecit. Soror quidem fuit Tertii Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, singulari erga S. Virginem pietate devincta. Eadem demum cum pietate vita functa est die 24 februarii 1893, in Beatorum numerum a Ioanne Paulo II anno 1988 relata.

Ant. ad introitum

Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum,
quæ óbviã Christo cum lámpade accénsa éxiit.

Collecta

Deus, qui Evangélii virtútem
ferméntum novum immisísti in mundum,
concéde fidélibus tuis,
quos rebus sæculáribus déditos esse voluísti,
ut, intercessióne et exémplo beátæ Ioséphæ,
spírítu christiáno fervéntes,
per temporália quæ gerunt múnera
regnum tuum iúgiter instáurent.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spírítus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

In beáta vírgine Joséphã te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur officia.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Ecce Sponsus venit:
exíte óbviã Christo Dómino.

Cf. Mt 25, 6

Post communionem

Divíni múneris participatióne refécti,
quæsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ Ioséphæ,
mortificatióne Iesu in córpore nostro circumferéntes,
tibi soli adhærere studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

APRILIS

Die 17 aprilis

B. Baptistæ Spagnoli, presbyteri

Natus est Mantuæ, die 17 aprilis 1447. Nondum autem adultus, Ferrariæ ordinem Carmelitarum Congregationis Mantuanæ ingressus est, ubi vota anno 1464 emisit. Multis in variis cœnobiis functus muneribus, Vicarii Generalis suæ Congregationis officium haud semel obiit. Anno 1513 totius Ordinis electus est Prior Generalis. E sæculo excessit Mantuæ, die 20 martii 1516. Eximiis autem virtutibus præditus, vires eo quidem impendit, ut renovaretur Ecclesia, quam dulcissime dilexit. Nomine *Vergilii Christiani* honestatus, inter suæ quidem ætatis exquisitissimos numerabatur poetas. Sacrum eius cultum Leo XIII anno 1885 confirmavit.

Ant. ad introitum

Mal 2, 6

Lex veritatis fuit in ore eius
et iniquitas non est inventa in labiis eius;
in pace et in æquitate ambulavit mecum,
et multos avertit ab iniquitate (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, qui beátum Baptistam,
devótum Mariæ fámulum,
verbi tui custódem et præcónem mirábilem effecisti,
eius nobis précibus concéde
verbum tuum cum María iúgiter meditári
teque, cum ipsa, per vitam nostram magnificáre.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Accépta tibi sint, quæsumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beáti Baptistæ commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Col 3, 16

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter,
in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos
psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus,
in grátia cantántes in córdibus vestris Deo (T.P. allelúia).

Post communionem

Per huius virtútem sacraménti, quæsumus, Dómine,
beáti Baptistæ exémplo, deduc nos iúgiter in tua dilectiône,
et opus bonum, quod cœpísti in nobis,
pérfice usque ad diem Christi Iesu.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Die 18 aprilis
B. Mariæ ab Incarnatione Avrillot, religiosæ
In domibus Gallia: Memoria

Lutetiæ Parisiorum anno 1566 natam, Barbaram Avrillot, adhuc virginem 16 annorum uxorem duxit Petrus Acarie, cui deinde septem in lucem ipsa edidit liberos, dum haud parvos altitudinis mysticæ contingit vertices, laboribus et humanis et domesticis quamvis gravaretur. Scriptis autem necnon apparitionibus S. Teresiæ animata, operam impendit enixe, ut Carmelitæ Discalceatæ in Galliam usque pervenirent. Viro defuncto, Ordinis ingressum, qua *conversa*, impetravit. Anno 1615, apud Carmelum Ambiani, professionem emisit. S. Franciscus Salesius eam sibi habuit admirationi. Altissimo orationis spiritu prædita zeloque apostolico, Pontisaræ, die 18 aprilis 1618, animam efflavit. In Beatorum numerum a Pio VI, anno 1791, relata est.

Ant. ad introitum

Cf. Prov 14, 1-2

Ecce mûlier sápiens, quæ ædificávit domum suam,
et timens Dóminum ambulávit recto itínere (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, qui beátam Mariám, per várias vitæ sémitas,
mirábili in adversitatibus fortitúdine roborásti,
concéde familiæ tuæ
ut advérsa ómnia fórtiter toleráre váleat
et in tuo sancto amóre usque ad finem persístere.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
pro beátæ Mariæ commemoratióne deférimus,
supplíciter deprecántes,
ut indulgéntiam nobis páriter cónferant et salútem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 12, 50

Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei,
qui in cælis est,
ipse meus frater et soror et mater est, dicit Dóminus (T.P. allelúia).

Post communionem

Divíni operátio sacraménti, omnípotens Deus,
in hac festivitáte beátæ Mariæ
illúminet nos páriter et inflámmet,
ut et sanctis iúgiter desidériis ferveámus,
et bonis opéribus abundémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 23 aprilis
B. Teresiæ Mariæ a Cruce Manetti, virginis

Campis (Campi Bisenzio), Florentiæ proximis, anno 1846 nata, ibidem Teresia Manetti postquam Congregationem condidit Carmelitarum S. Teresiæ (anno 1874), quas et in plagas Libani ac Terræ Sanctæ postea emisit, animam efflavit die 23 aprilis 1910. Gaudium experta, quod in corpus simul atque in spiritum ex vita ad crucis mysterium conformata redundavit, peculiari eminuit eucharistico fervore necnon erga parvulos humilesque teneritudine. In Beatorum numerum a Ioanne Paulo II est admissa, anno 1986.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 144, 10-11

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua,
et Sanctis tui benedícant tibi:
glóriam regni tui dícant,
et poténtiam tua loquéntur (**T.P.** allelúia).

Collecta

Deus, qui beátam Terésiam Mariám víginem
per exímium Eucharístiæ cultum
in crucis itínere sustinísti
et matérna erga húmiles et páuperes
caritáte donásti,
ipsa intercedénte, concéde,
ut pane angélico roboráti,
Christi passiónibus comunicántes gaudeámus
et in advéntum regni tui
caritátis opéribus allaborémus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Accépta tibi sint, quæsumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beátæ Teresiæ Mariæ commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Ps 33, 9

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus:
beátus vir, qui sperat in eo (**T.P.** allelúia).

Post communionem

Quæsumus, omnipotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémpló beátæ Teresiæ Mariæ, discámus te super ómnia semper inquirere,
et novi hóminis formam in hoc sæculo portáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 28 aprilis

B. Mariæ Felicitatis a Iesu Sacramentato Guggiari Echeverría, virginis

Maria Felicitas Guggiari Echeverría, agnomen cui Chiquitunga inditum, nata est Villaricæ, in Paraguaia, die 12 ianuarii 1925. Utpote Actionis Catholicæ particeps, in servitium se totam dedit puerorum, pauperum, ægrotantium, eo quidem usque temporis, dum, iam mulier triginta annorum facta, monasterium Carmelitarum in urbe sanctissimæ Mariæ Assumptæ est ingressa. Mense ianuario 1959, ipsa cum hepatite infectiva sese affectam comperisset, magna cum generositate atque apostolica animi intentione solidum Deo suæ vitæ statum devovit. Itaque ad Patrem commigravit die 28 aprilis 1959, anno vitæ tricesimo quarto peracto. In Beatorum numerum a Francisco, die 23 iunii 2018, relata est.

Ant. ad introitum

Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum,
quæ óbviã Christo cum lámpade accénsa éxiit, allelúia.

Collecta

Deus, qui in beáta Maríã Felicitáte a Iesu Sacramentáto, vírgini,
præclarum testimónium amóris erga Fílium tuum nobis dedísti
præsta nobis, ut, eius exémplo sectántes,
beatitúdinum spíritum vivámus
et ad glóriam tuam atque salútem mundi
vitam nostram offérre valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

In beáta vírgine Maríã Felicitáte te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam suppliciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur officia.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Qui mihi minístrat, me sequátur, dicit Dóminus:
et ubi ego sum, illic et miníster meus erit, allelúia.

Cf. Io 12, 26

Post communionem

Salutáribus, Dómine, fóntibus recreáti,
te súplices exorámus,
ut, beátæ Mariæ Felicitáte intercessióne,
Christo in dies intímius adhæréntes,
in eius regno grátiae mereámur esse consórtes.
Per Christum Dóminum nostrum.

MAIUS

Die 4 maii

Bb. Angeli Mariæ Prat Hostench, Lucae a S. Iosepho Tristany Pujol, presbyterorum, et sociorum, martyrum

In domibus Hispaniæ: Memoria

Martyres in Hispania

Una celebratione martyres decrevit uterque Ordo Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo commemorare, qui variis suum in Hispaniarum locis ediderunt fidei testimonium ante et inter cruentam diutinamque tempestatem persecutionis in odium fidei (1936-1939). P. Angelus Maria Prat Hostench O. Carm., una cum suis confratribus anno 1936 Tarracone obruncatus, et P. Luca a S. Ioseph Tristany Pujol O.C.D., una cum confratribus, eodem anno 1936 Barcinonæ interfectus est. Hoc ipso in monumento una commemorantur etiam sodalitates Ilerdæ, Tarraconæ, Toleti, Terrassæ, loci v.d. Olot, etc. Cuncta episcoporum, presbyterorum diœcesanorum, variorum ordinum religiosorum necnon laicorum manus inter Beatos adnumerata est partim a Benedicto XVI (498 martyres), die 28 octobris 2007, partim autem a Francisco (522 martyres), die 13 octobris 2013.

Ant. ad introitum

Cf. Ap 12, 11

Isti sunt Sancti qui vicérunt propter sánguinem Agni,
et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem;
proptérea cum Christo regnant in ætérnum, allelúia.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
qui beátis Angelo Mariæ, Lucae a sancto Ioseph, presbýteris, et sóciis,
grátiam perveniéndi ad vérticem Carméli per martýrium concessísti,
præsta, quæsumus, eórum intercessióne,
ut, regálem Christi maiestátem testificándo,
cum sapiéntia atque zelo semper vívere valeámus.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Præséntia múnera, quæsumus, Dómine,
ita seréna pietáte intuére,
ut Sancti Spíritus perfundántur benedictióne,
et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam operéntur,
per quam beáti mártýres Angelus Maria, Luca a sancto Iosepho et socii
ómina córporis torménta devicérunt.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. 2 Tim 2, 11-12

Si commórtui sumus cum Christo, et convivémus;
si sustinémus, et conregnábimus, allelúia.

Post communionem

Uníus panis alimónia refécti,
in commemoratióne beatórum mártýrum
Angeli Mariæ, Lucae a sancto Iosépho et sociorum
supplíciter te, Dómine, deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confirmes,
et in novitáte vitæ concédas ambuláre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 16 maii
S. Simonis Stock, presbyteri
In domibus Anglo-Hiberniæ: Memoria

Origine Anglus, sæculo XIII floruit. Post diem supremum, tumulatus est Burdigalæ. Propter peculiarem erga beatam Virginem pietatem eum insigni prosequuntur veneratione fratres Carmelitæ. Cultus quidem lithurgicus initium cepit sæculo XV, quibusdam tantummodo in cœnobiis; deinde, sæculo subsequenti, apud Ordinem ubique invaluit.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 63, 11

Lætábitur iustus in Dómino, et sperábit in eo;
et laudabúntur omnes recti corde (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, qui beátum Simónem
inter fratres sanctæ Mariæ de Monte Carmélo
ad serviéndum tibi vocásti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut nos quoque tibi iúgiter vacémus
et ad hóminum salútem cooperémur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Clementíssime Deus, qui, vétere hómine consúpto,
novum secúndum te in beáto Simóne créare dignátus es,
concéde propítius, ut nos páriter renováti
hanc placatiónis hóstiam tibi acceptábilem offerámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Ps 33, 9

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus:
beátus vir, qui sperat in eo (T.P. allelúia).

Post communionem

Quæsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémpló beáti Simonis, discámus te super ómnia semper inquírere,
et novi hóminis formam in hoc sæculo portáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 22 maii
S. Ioachimæ de Vedruna, religiosæ

Anno 1783 Barcinonæ nata, anno 1799 nupsit Theodoro de Mas, cuius antequam vidua facta est anno 1816, liberos in lucem edidit novem. Anno 1826 Congregationem condidit, cui nomen imposuit Carmelitarum Charitatis, infirmis quidem sublevandis necnon pueris, iis præsertim opibus destitutis, instituendis. Amore flagravat erga mysterium Trinitatis, ex quo nempe spiritalem sibi proprium ingenium derivavit, orationi, corporis mortificationi, sæculo abrenuntiando, humilitati, caritati penitus inhians. Diem obiit supremum Vicene, anno 1854. Relata est in Sanctorum album a Ioanne XXIII, anno 1959.

Ant. ad introitum

Cf. Prov 31, 30. 28

Múlter timens Dóminum ipsa laudábitur.
Fílii eius beatíssimam prædicavérunt,
vir eius laudávit eam (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, qui in Ecclésia tua
ad christiánam iuventútem educándam et infirmos sublevándos
sanctam Ioachímam suscitásti,
concéde, ut eius exéempla sectántes,
vitam nostram peramánter tibi in frátribus serviéndo impendámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, hæc dona, et concéde,
ut, qui hæc participámus mystéria,
sanctam Ioachímam imitáti,
te super ómnia et amóre tui omnes diligámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Io 15, 13

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis (T.P. allelúia).

Post communionem

Per hæc sancta quæ sumpsimus
tua in nobis grátia, Dómine, augeátur,
ut, sanctam Ioachímam sectántes,
et caritas iis qui nobiscum sunt
et lux iis qui in nos intuéntur
verbo efficiámur et ópere.
Per Christum Dóminum nostrum.

Translata a die 25 maii

Die 24 maii

S. Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

vel

S. Gregorii VII, papæ

Ut in Missale Romano.

Die 25 maii
S. Mariæ Magdalænæ a Verbo Incarnato de' Pazzi, virginis
Memoria

Florentiæ anno 1566 nata, Catharina de' Pazzi christianissimam penitus imbuat institutionem. Monasterium ingressa Carmelitarum S. Mariæ Angelorum, vitam duxit sæculo absconditam, oratione corporisque mortificatione perspicuam. Quæstionem peculiariter advertebat, quæ ad Ecclesiæ reformationem spectabat. Sororibus autem perfectionis christianæ imago moderatrixque facta est. Admirandissimis quidem a Deo cumulata gratiis, animam efflavit anno 1607. In Sanctorum album relata est a Clemente IX, anno 1669.

Ant. ad introitum

Io 1, 14

Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis (T.P. allelúia).

vel:

Os 2, 21

Sponsábo te mihi in sempiternum;
et sponsábo te mihi in iustítia et iudício
et in misericórdia et in miseratióibus (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, virginitátis amátor,
qui beátam Mariám Magdalénam víginem,
tuo amóre succénsam,
donis cæléstibus decorásti,
da ut, quam hódie venerámur,
eius puritátis caritátisque imitémur exémpa.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquiium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ Magdalænæ víginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Gal 2, 19b-20a

Christo confixus sum cruci:
vivo autem, iam non ego,
vivit vero in me Christus (T.P. allelúia).

Post communionem

Divíni múnemis participatióne refécti,
quæsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ Mariæ Magdalænæ,
mortificatiónem Iesu in córpore nostro circumferéntes,
tibi soli adhærére studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 29 maii
B. Eliæ a S. Clemente Fracasso, virginis

Theodora Fracasso Bariii, die 17 ianuarii 1901, parentibus christianam religionem altissime colentibus genita est. Baptismatis accepit sacramentum nomine Theodora, hoc est *donum Dei*. Non solum autem nomine, verum etiam re sese talem gessit totum per brevissimum terrenæ vitæ circuitum. Die 8 aprilis 1920 Carmelum S. Iosephi Barenensis ingressa, die 9 decembris 1924 votum, quo sese penitus atque irrevocabiliter Christo obtulit, suo quidem sanguine exaravit. Anima Deo reddita anno 1927, inter Beatorum manum a Benedicto XVI est admissa, anno 2006.

Ant. ad introitum

Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsisti
propter amorem Dómini mei Iesu Christi,
quem vidi, quem amavi,
in quem credidisti, quem dilexisti (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, qui beátæ Eliæ a sancto Cleménte, virginis,
suiipsius oblationem benigne suscepisti,
eius intercessiône nobis concéde,
ut, eucarístico pane refécti,
voluntátem tuam fidéliter adimplére valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Devotiónis nostræ múnera, Dómine,
in beátæ Eliæ commemoratióne
tibi sacránda deférimus,
qui temporáli consolatióne significas,
ut promíssa non desperémus æténa.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Eructávit cor meum verbum bonum,
dico ego ópera mea Regi (T.P. allelúia).

Ps 44, 2

Post communionem

Salutáribus, Dómine, fontibus recreáti,
te súpplīces exorámus,
ut, beátæ Eliæ intercessiône,
Christo in dies intímius adhæréntes,
in eius regno grátia mereámur esse consórtes.
Per Christum Dóminum nostrum.

IUNIUS

Die 7 iunii

B. Annæ a S. Bartholomæo, virginis

In domibus Hispaniæ: Memoria

Anna García nata est in oppido Almendral, in regione Castellæ, anno 1549. A S. Teresia inter sorores monasterii S. Iosephi ab Abula excepta, Carmelitarum Discalceatarum professionem emisit anno 1572. Ipsius S. Teresiæ, cuius et comes et nosocoma se præbuit, spiritum apostolicum ardentem divulgavit, nonnullis conditis Carmelis apud Gallos Belgasque. Eiusdem S. Teresiæ æmula, semper se gessit germanam Ecclesiæ filiam, pro animarum salute zeli flammis flagrans. Animam reddidit Anversæ, anno 1626. In Beatorum numerum a Benedicto XV est admissa, anno 1917.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 148, 12-14

Virgines laudent nomen Dómini,
quia exaltátum est nomen eius solíus;
conféssio eius super cælum et terram (T.P. allelúia).

Collecta

Deus, humílium celsitúdo,
qui beátam Annam
caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti,
eius intercessióne concéde
ut, Christum sequéntes et in frátribus diligéntes,
secúndum cor tuum vívere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Tibi, Dómine, sacrificia dicáta reddántur,
quæ ita Fílii tui obcædiéntiæ nos confórmes effícient,
ut ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 5, 3

Beáti páuperes spírítu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum (T.P. allelúia).

Post communionem

Pane mensæ cæléstis refécti,
te, Dómine, deprecámur,
ut hoc nutríméntum caritátis corda nostra confirmet,
quátenuis ad tibi ministrándum in frátribus excitémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 12 iunii

Bb. Alphonsi Mariæ a S. Spiritu Mazurek, presbyteri, et sociorum, martyrum

In domibus Poloniæ: Memoria

Martyres in Polonia

Iosephus Mazurek natus est die 1 mensis martii 1891, in oppido Baranówka, in terris Polonicis. Anno 1908 ordinem Carmelitarum Discalceatorum in oppido Czerna ingressus, nomen sibi statuit Alphonso Mariæ a Sancto Spiritu. Votis emissis, studiis se dabat primum Cracoviæ, deinde Lentia, postremo Vindobonæ, ubi die 16 iulii 1916 sacerdos creatus est. Diligens ac prudens variis in communitatis servitiis necnon assiduus confessionum minister, omnes, ut firmam teneramque erga Virginem pietatem exhiberent, ipse monere solebat. A nazistis (qui dicuntur), sclopetis displosis, interfectus die 28 augusti 1944 apud Nawojowa Góra, animam Deo reddidit dum rosarium recitabat. In Beatorum numerum admissus est anno 1999, Varsaviæ, a Ioanne Paulo II, una cum supra centum Polonis martyribus.

Ant. ad introitum

Cf. Sap 3, 6-7.9

Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus,
et quasi holocausti hostiam accepit illos;
et in tempore erit respectus illorum:
quoniam donum et pax erit electis Dei (T.P. allelúia).

Collecta

Omnipotens sempiternus Deus,
qui beatis Alphonso Maria et sociis
usque ad mortem pro iustitia tribuisti,
fac nos, eorum intercessione, pro amore tuo omnia adversa tolerare
et ad te, qui solus es vita, tota virtute properare.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia secula seculorum.

Super oblata

Suscipe, quaesumus, Domine, munera populi tui
pro martyrum tuorum passionibus dicata sanctorum,
et, quae beatis Alphonso Maria et sociis
in persecutióne fortitudinem ministrarunt,
nobis quoque praebeant inter adversa constantiam.
Per Christum Dominum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Sap 3, 4

Si coram hominibus tormenta passi sunt,
spes electorum est immortalis in aeternum (T.P. allelúia).

Post communionem

Conserva in nobis, Domine, munus tuum,
et quod, te donante,
pro festivitate beatorum martyrum Alphonsi Mariæ et sociorum percipimus,
et salutem nobis praestet et pacem.
Per Christum Dominum nostrum.

Die 14 iunii
S. Elisæi, prophetæ

«Cumque venisset Elias ad Elisæum, misit pallium suum super illum, qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam» (cf. 1 Reg 19,19-20). Spiritu Eliæ accepto, multa et insignia prodigia edidit Elisæus, Naaman leprosum sanavit atque a mortuis puerum quendam suscitavit. Vitam inter filios prophetarum transigens, ipse sæpe quidem, in nomine scilicet Dei, factis gestisque populi Israëliti interfuit. Ordo autem Carmelitarum, suæ quidem originis in monte Carmelo minime oblitus, per sollemnia lithurgice celebranda, Eliæ atque Elisæi, magnorum nimirum prophetarum, opera ac præsentiam usque ab anno 1399 commemorare decrevit. Quod ad nostrum autem sæculum spectat, Elisæus, quippe qui veri Dei fidelem sectatorem necnon humilem sui ipsius populi servum se præbuerit, insignis eminet testis prophetici charismatis.

Ant. ad introitum

Requievit spiritus Eliæ super Elisæum
et apud eum fuit sermo Dómini.

Cf. 2 Reg 2, 15; 3, 12

Collecta

Custos hóminum et redemptor, Deus,
qui in eléctis prophétis mirábilis prædicáris
quique Eliæ spíritum in prophéta tuo Elisæo donásti,
benígne dignáris Spíritus Sancti dona in nobis áugere
ut múnere imbúti prophético
te præsentem et providéntem testificári ubique valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Deus qui per antiquórum sacrificiórum figúras
veritátem præsignásti præsentium hostiárum,
concéde propítius, ut per hæc sacrosáncta commércia
quæ in prophétæ tui Elisæi honóre proséquimur,
nosmetípsos munus tibi ætérnum efficiámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Posuit vir Dei panem primitiárum coram eis,
qui comederunt, et superfuit iuxta verbum Dómini.

Cf. 2 Reg 4, 44

Post communionem

Deus qui per prophétæ tui Elisæi prodígia
panem vitæ mirífice præfigurásti,
præsta quæsumus ut hoc cibo roboráti
munus prophético éxplere cotídie valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 14 iunii
B. Mariæ Candidæ ab Eucharistia Barba, virginis

Maria Barba in lucem edita est Catanzarii, anno 1884, a Petro et Ioanna Florena. Laribus Panormum translatis, hic Primam Communionem accepit, die 3 martii 1894. Anno autem 1919, Carmelum Ragusiæ ingressa, sollemnem emisit professionem die 23 aprilis 1924. Haud semel priorissa et novitiarum magistra fuit huius cœnobii, quod suæ quidem sanctitatis fragrantia perfudit atque eucharistica pietate rigavit, scriptis etiam non paucis editis. Anno tandem 1949, die 12 iunii, S.ma Trinitate sollemni, anima Deo reddita, inter Beatorum numerum relata est anno 2004 a Ioanne Paulo II.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 15, 5

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátam Mariám Cándidam, vírginem,
Spíritu afflánti inspirásti
ad divítias Eucharístiæ contemplándas,
præsta, quæsumus, eius intercessióne,
ut Córporis et Sáanguinis Christi sacrificium
grato ánimo offeréntes
una cum beáta María Vírgine te semper
in hoc sacraménto magnificémus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ Cándidæ vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 25, 6

Média nocte clamor factus est:
Ecce sponsus venit, exíte óbviám ei.

Post communionem

Cælésti pane refécti,
humíliter deprecámur cleméntiam tuam, Dómine,
ut, qui de beátæ Mariæ Cándidæ commemoratióne gaudémus,
véniám delictórum, sospitátem córporum,
gratiámque et glóriam ætéram consequámur animárum.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 26 iunii
B. Mariæ Iosephinæ a Iesu Crucifixo Catanea, virginis

Iosephina Catanea Neapoli nata est die 18 februarii 1894. Postquam Carmelum S. Mariæ ad Pontes Rubros ingressa est, sollemnem emisit professionem die 6 augusti 1933; anno 1945 priorissa facta est. Solidam Dei sibi suscipiens voluntatem, haud levia sustinuit pericula cum morbi, tum persecutionum. Eum autem, sibi quisquis accederet, sua quidem afficere solebat spiritus altitudine, humilitate ac simplicitate, spem denique fiduciamque in Deo atque in S. Virgine communicans. Animam Deo reddidit Neapoli, die 14 martii 1948. Inter Beatorum numerum relata est anno 2008 a Benedicto XVI.

Ant. ad introitum

Veni, sponsa Christi, áccipe corónam,
quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátam Mariám Iosephínam, vírginem,
víctima pro peccatóribus
Christo Crucifixo conformáre voluísti,
præsta nobis, eius intercessióne exémplo,
ut crucem nostram iúgiter amplécti
et voluntáti tuæ humíliter adhærere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ Iosephínæ vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Optimam partem elégit sibi virgo prudens,
quæ non auferétur ab ea.

Cf. Lc 10, 42

Post communionem

Divíni múneris participatióne refécti,
quæsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ Mariæ Iosephínæ,
mortificatióne Iesu in córpore nostro circumferéntes,
tibi soli adhærere studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

IULIUS

Translata a die 13 iulii

Die 10 iulii

S. Henrici

Ut in Missale Romano.

Die 12 iulii
Ss. Ludovici Martin et Mariæ Azeliæ Guérin, coniugum

Ludovicus Martin Burdigalæ natus est, die 22 augusti 1823. Horologiorum faber, Alençonii consuetudinem iunxit cum Maria Azelia Guérin, fimbriaria, Monte Guantele nata, die 23 decembris 1831. Matrimonio die 13 iulii 1858 celebrato, novem liberi in lucem editi sunt, quorum in numero fuit etiam Teresia a Iesu Infante. Parentes autem, viva quidem exempla ceteris cum coniugibus tum parentibus, in pauperes misericordes, missionario spiritu penitus animati, vires ex frequenti Eucharistiæ participatione necnon ex insigni erga beatam Mariam pietate sumebant. Azelia animam Deo reddidit Alençonii, die 28 augusti 1877. Ludovicus tamen lares ideo Lexovium transtulit, suis ut quinque natis (quarum autem quatuor postmodum Carmelum, reliqua vero Visitationem sunt ingressæ) optabilius vitæ genus prospicere posset. Prope Ebuovicum, die 29 iulii 1894, vita functus est. Ambo coniuges in Sanctorum album sunt relati anno 2015 a Francisco.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 144, 10-11

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua,
et Sancti tui benedicánt tibi:
glóriam regni tui dicent,
et poténtiam tuam loquéntur.

Collecta

Deus, qui beátis Ludovíco et Mariæ Azéliæ
grátiam contulísti viam prosequéndi sanctitátis
velúti cóniuges et paréntes christiáni,
concéde nobis, eórum intercessióne et exémplo,
ut, in nostra unaquáque vocatióne digne ambulánte,
te diligere tibi que fidéliter servíre valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Preces nostras, Dómine, quæsumus, propitiátus admítte,
et, ut digne tuis famulémur altáribus,
sanctorum Ludovíci et Mariæ Azéliæ nos intercessióne custódi.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Lc 12, 37

Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus,
invénerit vigilánte.
Amen dico vobis, quod præcínget se,
et fáciat illos discúmbere,
et tránsiens ministrábit illis.

Post communionem

Omnípotens sempitérne Deus,
Pater totíus consolatiónis et pacis,
præsta famíliæ tuæ in celebritáte sanctórum Ludovíci et Mariæ Azéliæ
ad laudem tui nóminis congregátæ,
ut, per Unigéniti tui sumpta mystéria,
pignus accípiat redemptiόnis æternæ.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 iulii
S. Teresiæ a Iesu Fernández Solar, virginis
Memoria
In domibus Chilicæ: Festum

Ioanna Fernández Solar nata est in oppido S. Iacobi Chileni, die 13 iulii 1900. Inde a prima quidem adolescentia a Christo veluti fascinata, cœnobium Carmelitarum Discalceatarum *Los Andes* die 7 maii 1919 ingressa est, sub nomine Teresiæ a Iesu. Animam autem Deo reddidit die 13 aprilis subsequentis anni, religionis professione iamiam emissa. Tamquam exemplum iuvenibus, in Sanctorum album relata est a Ioanne Paulo II, anno 1993.

Ant. ad introitum

Gaudeamus et exsultemus, quia Dóminus ómnium diléxit vírginem sanctam atque gloriósam.

Ubi et quando celebratur gradu festi dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Lætítia Sanctórum, miséricors Deus,
qui iuvenílem sanctæ Teresiæ a Iesu ardórem
virgináli in Christum eiúsque Ecclésiám amóre succendísti,
eamque lætam caritátis testem étiam in cruce effecísti,
ipsa intercedénte, concéde,
ut nos quoque, Spíritu Sancto operánte,
dilectiónis tuæ dulcédine perfúsi,
lætum caritátis nuntium
verbo et ópere mundo prædicémus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Propítius, Dómine, quæsumus,
hæc múnera sanctífica,
et intercedénte sancta Terésia a Iesu,
quæ cum Christo se plane tibi obtulit
hóstiam propitiatiónis et láudis,
plebi tuæ dona concéde
perféctæ reconciliatiónis et pacis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Mystera Christi et sacrificium laudis.

Ubi et quando celebratur gradu festi adhiberi potest sequens Præfatio proprio.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spíritu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre
nos tibi semper et ubique grätias ágere
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim, divínus perfectiónis magíster et exémpplar,
pulcritúdine sua sanctam Terésiam a Iesu
ab ipsa infántia peramánter ad se traxit,
ut ei arcána Evangélii comunicáret
quæ sapiéntibus et prudéntibus abscóndis
et párvulis Regni revélas.
Illa autem, vitæ oratiónis pro Ecclésia mancipáta,
exímium láudis sacrificium incessánte obtulit,
testis effécta divitiárum Iesu Christi
in gáudio Spíritus Sancti.

Et ideo, cum cælórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Ant. ad communionem

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxit vos, dicit Dóminus; manéte in dilectióne mea.

Io 15, 9

Post communionem

Pretiósi Córporis et Ságuinis Fílii tui
sumptis mystériis,
te Dómine deprecámur,
ut exémplo et intercessióne sanctæ Terésiæ a Iesu,
spíritus noster cum beátæ Vírgine María te semper magníficet
et læto ánimo tibi in frátribus generóse deserviámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ubi et quando celebratur gradu festi adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 16 iulii
**BEATÆ MARLÆ VIRGINIS
DE MONTE CARMELO,
PATRONÆ ET TITULARIS ORDINIS NOSTRI**
Sollemnitas

Sacræ Scripturæ montis Carmeli, ubi Elias propheta puram in Deum viventem Isrælitarum fidem defendit, pulchritudinem extollunt. Nam hunc ipsum in montem, iuxta fontem ab ipso propheta nomen quidem accipientem, sæculo XIII exeunte quidam sese receperunt eremitæ, ubi deinde, in honorem Matris Dei, sibi patronæ titularis delectæ, oratorium ædificarunt. Virginem ipsam sibi cum habuerunt tum experti sunt germanam sibi matrem, vitæ contemplativæ exemplar necnon earum divitiarum, quas ex Dei communione contingerent, fratribus in donum offerendarum incitamentum. Postea sollemnis commemoratio, iam sæculo XIV nonnullis in locis celebrata, totius Ordinis peculiaris facta est in signum gratitudinis omnia erga beneficia, quæ purissima quidem Mater in intimum *sua* familiæ sinum contulisset.

Ant. ad introitum

Is 35, 2

Glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron;
ipsi vidébunt glóriam Dómini et decórem Dei nostri.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Adiuvet nos, quæsumus, Dómine,
gloriósæ Vírginis Mariæ, Carméli matris et regínæ,
intercèssio veneránda,
ut eius muníti præsídiis,
ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

vel:

Deus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genetrícis Fílii tui Mariæ
singulári título Carméli Ordinem decorásti,
concéde propítius,
ut, cuius hódie commemoratiónem sollémni celebrámus officio,
eius muníti præsídiis,
ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Dicitur Credo.

Super oblata

Beátæ Mariæ Vírginis patrocínium recoléntes,
hæc múnera tibi, Dómine, reverénter offérimus,
ut, eius caritáti in tui servítio confórmes,
óperi Redemptiόνis árcétius coniúngi valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: De maternitate spiritali beatæ Mariæ Virginis.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in sollemnítate Vírginis Mariæ, Carméli matris,
collaudáre, benedicere et prædicáre.
Ipsa enim Verbum tuum fidéliter custódiens et adímplens,
atque in oratióne cum Apóstolis perseverans,
mystério salutis mirabíliter sociáta,
ómniúm hómínium spiritális génetrix est effécta.
Nunc étiam de frátribus Fílii matérna curans caritáte,
signum certæ spei et solácii nobis peregrinántibus prælúcet
qui ad montem glóriæ tuæ, perveníre conténdimus.
Atque in ea, velut in puríssima imágine,
quod nos in Ecclésia esse cúpimus et sperámus,
cum gáudio contemplámur.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Vel præfatio: Beata Maria Virgo, mater et exemplar sanctitatis (p. 79).

Ant. ad communionem

María conservábat ómnia verba hæc,
cónferens in corde suo.

Lc 2, 19

Post communionem

Pretiósi Córporis et Ságuinis Fílii tui
nos, Dómine, sacraménto reféctos,
mirífica dilectiόνis tuæ grátia commúniat,
atque obséquiis beatæ Vírginis Mariæ mancipátos,
virtútum eiúsdem fidéles constítuat imitatóres.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 17 iulii
Ss. Teresiæ a S. Augustino Lidoine et sociarum, virginum et martyrum
Memoria
Martyres in Gallia

Eo ipso temporis momento, quo Gallica Revolutio pessimos et sui degeneres edere cœpit fructus, sedecim quidem Carmelitæ Discalceatæ cœnobii Incarnationis Compendii sese piaculo Deo obtulerunt ad pacem inter Ecclesiam Remque Publicam implorandam. Dein comprehensæ atque in vincula coniectæ die 24 iunii 1794, etiam alios, quibuscum suum gaudium fidemque communicavissent, eo exhortatæ sunt, ut ex Dei dilectione fortitudinem sibi derivarent. Capitis autem damnatæ propter fidelitatem erga Ecclesiam vitamque consecratam, postquam in gremio priorissæ ipsius Teresiæ a S. Augustino sua quæque vota renoverunt, hymnos una concinentes pœnam supremam aliquando luerunt. Inter Sanctorum numerum relatæ sunt a Francisco, die 18 decembris 2024.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 148, 12-14

Virgines laudent nomen Dómini,
quia exaltátum est nomen eius solius;
conféssio eius super cælum et terram.

Collecta

Deus, qui sanctam Terésiam eiúsque sócias,
Spíritus Sancti virtúte roborátas,
de vértice Carméli ad palmam martýrii vocásti,
concéde ut, te fidéliter diligéntes,
ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

In tuárum, Dómine, pretiósá Virginum morte,
sacrificium illud offérimus,
de quo martýrium sumpsit omne princípium.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Rom 8, 38-39

Neque mors, neque vita,
neque creatúra áliqua
póterit nos separáre a caritaté Christi.

Post communionem

Cælésti pane refécit,
da nobis, Dómine,
ut quam sancta Terésia eiúsque sóciæ
ex hoc sacro convívio fortitúdinem hausérunt,
eándem et nos in confessióne tui nóminis habeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Translata a die 20 iulii
Die 18 iulii
S. Apollinaris, episcopi et martyris

Ut in Missale Romano.

Translata a die 23 iulii præter domos Europæ
Die 19 iulii
S. Birgittæ, religiosæ

Ut in Missale Romano.

Die 20 iulii
S. ELLÆ PATRIS NOSTRI, PROPHETÆ
Festum

Elias propheta (IX sæc. a.C.n.) vir est coram Deo semper ambulans zeloque inflammatus, qui in Sacris Scripturis cultum unius et veri Dei defendit. Cuius debita autem iura sibi vindicat in certamine contra prophetas Baal in monte Carmelo atque interiorem cum Deo vivente necessitatem in Oreb ipse expertus est. Præcepta sectantes monastica, primi quidem, qui in montem Carmelum sese tandem contulerunt eremitæ, sæculo XII exeunte, Eliam prophetam, una cum Dei Matre, sibi exemplo dederunt.

Ant. ad introitum

Cf. 1 Reg 17, 1

Dixit Elías Thesbítēs:

«Vivit Dóminus Deus Isræl, in cuius conspéctu sto».

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beáto Elíæ, prophétæ tuo et patri nostro,
ante fáciem tuam vívere
eúmque zelo glóriæ tuæ zeláre tribuísti,
concéde fámulis tuis,
ut, fáciem tuam semper inquiréntes,
dilectiónis tuæ testes fieri mereántur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Múnera Ecclésiæ tuæ,
quæsumus, Dómine, propítius réspice,
et qui sacrificio Elíæ prophétæ mirábiliter affuísti,
hóstias quoque nostras suscípere dignéris.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Propheta Elias Dei amicus et apostolus.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Dómine, sancte Pater,
semper et ubíque grátias ágere
per Iesum Christum, Dóminum nostrum.

Ad te Deum vivum et verum confitendum
elēctos prophētas suscitāsti,
qui pópulum tuum erudirent in expectatióne salutis.
Eos inter Elíam Thesbítem
divína amicítia decorāsti,
ut, zelo glóriæ tuæ zelátus,
omnipoténtiam et misericórdiam tuam manifestáret.
Ipsam quoque inter transfiguratiónis testes
Christo adstáre voluisti,
ut Fílii tui glorióso gauderet adspéctu
qui tui in conspéctu semper ambulávit.

Et ídeo, cum cælórum Virtútibus
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Ant. ad communionem

Comédit Elías et bibit,
et ambulávit in fortitúdine cibi illius
usque ad montem Dei.

Cf. 1 Reg 19, 8

Post communionem

In mensa Fílii tui, Dómine,
cibo potúque angélico roborátis, concéde,
ut, te per fidem semper inquirétes,
in monte glóriæ perénni tuo fruámur adspéctu.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollempnis.

Die 23 iulii
B. Mariæ Virginis, Matris Divinæ Gratiae
Memoria

Beata Virgo, usque ab æterno prædestinata, his in terris Redemptoris fuit Mater, Domini fidelis discipula atque humilis ancilla. Utpote Christum concepit, genuit aluitque, ipsum ad Calvarium usque comitata est, specialiter autem Salvatoris operi ideo cooperata, animarum omnium ut vitam supra naturam instauraret. Qua nimirum de causa in ordine gratiæ Matrem nostram agnovimus.

Ant. ad introitum

Heb 4, 16

Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiae,
ut misericórdiam consequámur,
et grátiam inveniámus in auxiliúm oportúno.

Collecta

Deus, qui arcáno providéntiæ consílio,
beátam Vírginem Mariám grátiae Auctórem proférre voluísti,
eique in humánæ redemptiónis mystério sóciam dedísti,
præsta supplicibus tuis
ut ipsa et gratiárum cópiam nobis obtíneat
et ad portum salutis perdúcat æternæ.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, hóstias placatiónis et laudis,
et, Spíritus Sancti operánte virtúte,
sacraméntum éffice redemptiónis humánæ,
ut quod institúto Christi Mediatóris nos tibi concíliat,
intercedénte beáta Vírgine Mariá,
sit nobis gratiárum fons et perénnis vena salutis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Beata Maria Virgo, mater et exemplar sanctitatis (p. 82).

Ant. ad communionem

Apc 22, 17

Et Spíritus et Sponsa dicunt: «Veni!».
Et, qui audit, dicat: «Veni!».
Et, qui sitit, véniat;
qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

Post communionem

Salutáribus, Dómine, fóntibus recreáti,
te súpplīces exorámus
ut, sacraménti virtúte et beátæ Vírginis intervéntu,
Christo Mediatóri intímīus adhæréntes,
fidélius in dies redemptiónis inserviámus mystério.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 iulii

**Bb. Mariæ a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García, Mariæ a Sacratio
a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero et sociarum, virginum et martyrum**
Martyres in Hispania

Una celebratione nostræ commemorantur sorores, quæ martyrium subierunt ante et inter Bellum Hispanicum Civile (1936-1939). Peculiariter: Maria a Columna a S. Francisco Borgia (Jacoba Martínez García, nata Tirasonæ, h.e. Tarazona, die 30 decembris 1877), Teresia a Iesu Infante et S. Ioanne a Cruce (Eusebia García y García, nata in oppido Mochales die 5 martii 1909), Maria ab Angelis a S. Iosepho (Marciana Valtierra Tordesillas, nata Xatafi, die 6 martii 1905), quæ omnes Carmelitæ Discalceatæ cœnobii Guadalaxaræ martyrii palmam acceperunt die 24 iulii 1936 atque in Beatorum numerum relatæ sunt anno 1987 a Ioanne Paulo II. Maria a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga (Elvira Moragas Cantarero) nata est Lillii, prope Toletum, die 8 ianuarii 1881. Anno 1915 Carmelum Matritensem est ingressa. Martyrii palmam, sibi quidem exoptatissimam, tandem accepit die 15 mensis augusti anni 1936. Inter Beatorum numerum est relata anno 1998 a Ioanne Paulo II.

Ant. ad introitum

Beátæ vírgines, quæ abnegántes semetípsas
et tolléntes crucem suam,
Dóminum æmulátæ sunt, vírginum sponsum
martyrúmque princípem.

Collecta

Deus, humílium fortitúdo,
qui beátas Mariám a Colúmna, Mariám a Sacratio et sócias, vírgines
mirábiliter in martýrio sustinuísti,
ipsis intercedéntibus concéde,
ut, sicut illæ læto ánimo
sánguinem pro Christo Rege fuderunt,
nos quoque tibi et Ecclésiæ tuæ
ad mortem usque fidéles maneámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Múnera, quæsumus, Dómine,
quæ in celebritáte beatárum Mariæ a Colúmna, Mariæ a Sacratio et sociarum deférimus,
ita grátia tuæ efficiántur accépta,
sicut earum tibi plácitum éxstit passiónis certámen.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Ap 7, 17

Agnus, qui médio throni est,
dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

Post communionem

Deus, qui beátas Mariám a Colúmna, Mariám a Sacratio et sócias
pro gémina virginitátis et martýrii victória
inter Sanctos coronásti,
da, quæsumus, per huius virtútem sacraménti,
ut, omne malum fórtiter superántes,
cæléstem glóriam consequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 27 iulii
S. Titi Brandsma, presbyteri et martyris

Hannus Bjoerd Brandsma, natus in oppido Oegelklooster in Frisia (in terris Batavis) anno 1881, iuvenis quidem in Carmelum introitum fecit. Anno 1905, Romæ, sacerdos creatus laurea que philosophica coronatus, variis deinde in Batavicis lycæis munus magistri, necnon philosophiæ rei que mysticæ historiæ professoris officium profitebatur in Universitate Catholica Noviomagi. Quippe qui diurnarius esset, contra ideologiam nationalsocialisticam ubique succrescentem acriter pugnavit, pro prelorum ludorumque catholicorum libertate. Qua quidem de causa a militibus comprehensus, in vincula coniectus est Dahauæ, ubi vero animi tranquillitatem cum ceteris captivis, quos solari consueverat, communicavit, immo carnifices etiam suis cumulavit beneficiis. Ibidem animam Deo reddidit die 26 iulii 1942, in Sanctorum album a Francisco relatus, anno 2022.

Ant. ad introitum

Cf. Io 15, 13

Maiórem caritátem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis, dicit Dóminus.

Collecta

Deus, omnis vitæ fons et orígo,
qui sancto Tito ad Ecclésiæ libertátem et hóminis dignitátem
per ævam persecutiónem ac mortem proclamándas
Spíritus fortitúdinem tribuísti,
eo intercedénte, concéde,
ut in advéntum regni tui iustítiæ et pacis
Evangélium non erubescámus
et in ómnibus vitæ adiúctis
te misericórdem agnóscere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Obláta múnera, quæsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, nos illa flamma tuæ dilectiόνis accéndat,
per quam sanctus Titus torménta sui córporis univérsa devícit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 16, 24

Qui vult veníre post me, ádneget semetípsum,
et tollat crucem suam,
et sequátur me, dicit Dóminus.

Post communionem

Præstent nobis, quæsumus, Dómine,
sacra mystéria quæ sumpsimus
eam ánimi fortitúdinem,
quæ beátum Titum mártirem tuum
réddidit in tuo servítio fidélem et in passióne victórem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 28 iulii
B. Ioannis Soreth, presbyteri
In domibus Galliae: Memoria

Ad Cadumum natus, in regione Normannica, anno 1394, iuvenis Carmelum ingressus est. Theologiae laurea corona Lutetiae Parisiorum decoratus, praeses fuit studiorum necnon Provincialis. Ab anno 1451 ad diem usque suae vitae extremam (quae Angei, h.e. Angers, anno 1471, illuxit) ipsius Ordinis fuit Prior Generalis. Morum observantiam instauravit propagavitque; magna cum peritia ac perspicuitate Regulam illustravit; anno autem 1462, Constitutiones a se ipso castigatas typis dedit. Monachalibus sororibus prima inde ab origine opem tulit et favit. B. Ioannis cultus ite est confirmatus a Pio IX, anno 1866.

Ant. ad introitum

Visitábo oves meas, dicit Dóminus,
et suscitábo pastórem qui pascat eas:
ego autem Dóminus ero eis in Deum.

Cf. Ez 34, 11.23-24

Collecta

Intercédát pro nobis, Dómine,
beátus Ioáannes,
et qui in vita religiósá renovánda
et vírginum carmelítidum institúto confirmándo refúlsit,
in Christi eiúsque Matris sequéla
fidelióres in dies nos suis méritis reddat.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sáecula sáeculórum.

Super oblata

Accépta tibi sint, quáesumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beáti Ioánnis commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Qui maior est in vobis, fiat sicut iúnior,
et qui præcésor est, sicut ministrátor.

Lc 22, 26

Post communionem

Per huius virtútem sacraménti, quáesumus, Dómine,
puro corde tibi deservíre,
qui per beátum Ioánnem, vitæ religiósæ assertórem,
evangélicæ nobis perfectiόνis documénta donásti.
Per Christum Dóminum nostrum.

AUGUSTUS

Translata a die 7 augusti

Die 3 augusti

Ss. Xysti II, papæ, et sociorum, martyrum

vel

S. Caietani, presbyteri

Ut in Missale Romano.

Die 7 augusti
S. Alberti a Drepano, presbyteri
Memoria

Albertus ab Abbatibus natus est Drepani, Siciliae, saeculo XIII. Ordinem adhuc iuvenis ingressus, praere ardore praedicationis prodigiorumque fama perspicuus evasit. Anno 1296 eum Siciliae priorem provincialem cognovimus. Diem obiit supremum Messanae, verisimiliter anno 1307, exemplo cum puritatis tum orationis habitus. Eius autem cultus, utpote iam post mortem nulla mora exortus, a Sixto IV pontifice maximo, anno 1476, ratus est.

Ant. ad introitum

Ps 36, 30-31

Os iusti meditabitur sapientiam,
et lingua eius loquetur iudicium;
lex Dei eius in corde ipsius.

Collecta

Deus, qui beatum Albertum,
puritatis et orationis exemplar
ac Virginis Mariae fidelem famulum effecisti,
concede ut, iisdem induti virtutibus,
perenni gratiae tuae convivio
digni inveniri mereamur.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

Super oblata

Ascendant ad te, Domine, oblationes hostiarum,
et miseratus concede,
ut beati Alberti exempla sectantes,
et rerum divinarum contemplationi vacemus
et fratrum necessitatibus consulamus.
Per Christum Dominum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos, qui reliquistis omnia,
et secuti estis me,
centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.

Post communionem

Caelesti alimonia refecti, supplices te, Domine,
deprecamur, ut, beati Alberti moniti obsequentes,
Christo intimius iugiter haereamus
eiisque Matri devoto famulemur obsequio.
Per Christum Dominum nostrum.

Die 9 augusti
S. Teresiæ Benedictæ a Cruce Stein, virginis et martyris
Memoria

In domibus Europæ: Patrona Europæ
Festum

Editha Stein ex familia Hebraica orta est Vratislaviae, die 12 octobris 1891. Indagatrix veritatis fuit quidem studiosissima, quam, post excultissima philosophiæ studia, autobiographia autem S. Teresiæ a Iesu perlecta, tandem ipsa detegere valuit. Anno 1922 in fonte baptismatis Ecclesiæ quidem Catholicæ lota, 1933 Carmelum Coloniensem est ingressa. Quæ deinde, cum in Bataviam, ut nazisticam effugeret persecutionem, sese contulisset, tamen comprehensa Osviecimine in vincula coniecta est, ubi verum obiit die 9 augusti 1942, suum proprium offerens holocaustum pro Isrâelis populo. Mulier autem ingenio, sapientia prædita singulari, multa pone reliquit scripta cum altæ doctrinæ tum profundæ pietatis. In Sanctorum album relata est a Ioanne Paulo II anno 1998; anno autem insequenti Europæ compatrona decreta est.

Ant. ad introitum

Cf. Gal 6, 14

Nos autem gloriári oportet
in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
in quo est salus, vita et resurréctio nostra,
per quem salváti et liberáti sumus.

Ubi et quando celebratur gradu festi dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Sciéntia crucis reple nos,
Dómine Deus patrum nostrórum,
qua beátam Terésiam Benedíctam
in hora martýrii mirábiliter ditásti,
eáque intercedénte, concéde,
et te, summam Veritátem iúgiter inquirere,
et ætérnum amóris fœdus,
in sáanguine Fílii tui pro ómnium salúte firmátum,
fidéliter ad mortem usque serváre.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Deus,
qui perfectióne uníus Fílii tui sacrificii,
in suo sáanguine obláti,
plúrima véteris testaménti holocáusta sanxísti,
áccipe benígne, quæsumus, et sanctífica
múnera quæ, in memória sanctæ Teresiæ Benedíctæ, mártiris,
tibi suppliciter offérimus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Ps 22, 4

Et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Post communionem

Miséricors Pater,
nobis, sanctam Terésiam Benedíctam celebrántibus,
concéde, quásumus, ut per fructus árboris crucis
corda nostra virtúte impleántur,
et exínde, ad Christum adhæréntes in terra,
de ligno vitæ in paradíso édere valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ubi et quando celebratur gradu festi adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 18 augusti
**Bb. Leonardi Duverneuil, Michaelis Aloysii Brulard, Huberti a S. Claudio
Gagnet, presbyterorum, et sociorum, martyrum**
Martyres in Gallia

Dum res Gallicæ novantur, in statione maritima portus Rocafortis (in Gallica diœcese Rupellæ), catervatim in duas naves coacti 547 sacerdotes et religiosi vitam amiserunt, in quibus numerantur ad tres minimum Carmelitæ Discalceati: Leonardus (Ioannes Baptista Duverneuil), natus Limoges die 8 ianuarii 1759, ex conventu Angoulême; Michael Aloysius (Michael Aloysius Brulard), natus Chartres die 11 iunii 1758, ex conventu Charenton; Hubertus a S. Claudio (Iacobus Gagnet), natus Frolois die 9 februarii 1753, ex conventu Nancy. Ex necessariorum prorsus penuria ac morbis ægrotantes, omnes quidem emortui sunt inter æstatem anni 1794 (die sibi quisque propria, id est 1 iulii, 25 iulii necnon 10 septembris). Dilectio Christi immodica, erga Ecclesiam fidelitas, in omnes quidem misericordia, venia demum persecutoribus concessa indolis eis, S. Teresiæ filii, communis clara exstiterunt signa. Ipsi autem inter Beatorum numerum relati sunt a Ioanne Paulo II anno 1995, una vero cum aliis 61 martyribus.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 33, 18

Clamaverunt iusti, et Dóminus exaudivit eos,
et ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos.

Collecta

Dómine, Deus noster,
qui beatis Leonádo, Michaéle Aloysio, Hubérto et sociis martýribus
in tetérrima tribulatióne pósitis
grátiam contulísti fidelitátis et vénia,
eórum intercessióne concéde,
ut semper Ecclésiæ fidéles
et ad nos reconciliándos cum frátribus
iúgiter paráti maneámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
pro commemoratióne beatórum Leonárdi, Michaélis Aloysii, Hubérti et sociórum offérimus,
supplíciter deprecánte,
ut, sicut illis præbuísti sacræ fidei claritátem,
sic nobis indulgéntiam largiáris et pacem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

2 Cor 4, 11

In mortem trádimur propter Iesum,
ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Post communionem

Concéde nobis, Dómine, per hæc sacraménta cæléstia,
grátiam in beatórum mártýrum Leonárdi, Michaélis Aloysii, Hubérti et sociórum
celebritáte múltiplicem,
ut de tanti agóne certáminis discámus
et firma solidári paciéntia,
et pia exsultáre victória.
Per Christum Dóminum nostrum.

Translata a die 25 augusti

Die 23 augusti

S. Ludovici

vel

S. Iosephi de Calasanz, presbyteri

Ut in Missale Romano.

Die 25 augusti
S. Mariæ a Iesu Crucifixo Baouardy, virginis
Memoria

Myriam Baouardy nata est Abellini, in Galilæa, anno 1846, ex familia ritum Græcum Melchitam Catholicum profitente. Anno autem 1867 Carmelitis Discalceatis Pali, in Gallia, sese adiungens, professionem deinde emisit Mangalorii, in India, quo se quidem contulerat, ut Carmelum una cum aliis sororibus conderet. Postquam in Galliam revertit, anno 1875 in Terram Sanctam commigravit, ubi monasterium apud oppidum Bethlehem erexit et alterum Nazareth condendi consilium concepit. Donis autem supernaturalibus celebris, ast humilitate præsertim, necnon in Spiritum Sanctum pietate et ingenti Ecclesiæ pontificisque dilectione, animam Deo reddidit Bethlehem, die 26 augusti 1878. In Sanctorum album relata est a Francisco, anno 2015.

Ant. ad introitum

Ct 4, 8a. 9a

Veni de Líbano, sponsa, veni de Líbano, ingrédere.
Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa,
vulnerásti cor meum.

Collecta

Deus, Pater misericordiárum et totíus consolatiónis,
qui beátam Mariám a Iesu Crucifixo,
húmilem Terræ Sanctæ filiam,
ad contemplatióem duxísti mysteriórum Fílii tui
eámque caritátis et gáudii Spíritus Sancti testem effecísti,
nobis, ipsa intercedénte, concéde,
ut Christi passióibus communicátes,
in revelatióem glóriæ tuæ exultátes gaudeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Lc 10, 42

Optimam partem elégit sibi virgo prudens,
quæ non auferétur ab ea.

Post communionem

Divíni múnere participatióne refécti,
quæsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ Mariæ,
mortificatióem Iesu in córpore nostro circumferétes,
tibi soli adhærére studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 26 augusti
In transverberatione cordis S. Teresiæ a Iesu matris nostræ

«Sed inter ceteras Teresiæ virtutes præcipua emicuit dilectio Dei, quam etiam Dominus Noster Iesus Christus multis visionibus ac revelationibus mirabiliter auxit. Aliquando etiam Angelum vidit ignito iaculo sibi præcordia transverberantem. Ex quibus cælestibus donis divini amoris flamma in eius corde adeo exæstuabat, ut maxime arduum votum a Deo edocta emiserit efficiendi semper quicquid perfectius esse et ad maiorem Dei gloriam pertinere intelligeret» (Gregorius XV, Bulla canonizationis Omnipotens sermo Dei).

Ant. ad introitum

Rom 5, 5

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

Collecta

Omnípotens Deus,
qui beátam Terésiam, Matrem nostram,
amóris tui igne mirábiliter adussísti
eámque ad fórtia pro tuo nómine agénda roborásti,
ipsa interveniénte concéde,
ut caritátis tuæ virtútem íntime experiámur
qua ad generóse pro te operándum iúgiter excitémur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Caritátis víctima quam offérimus, Dómine,
illum in nobis fóveat amóris ardórem
quo beáta Terésia veheménter accénsa
pro Ecclésia tua hóstiam se tibi devóvit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: De S. Teresiæ charismate in Ecclesia (p. 82).

Ant. ad communionem

Cf. Lc 12, 49

Dicit Dóminus: Ignem veni mittere in terram,
et quid volo, nisi ut accendátur?

Post communionem

Spíritum dilectiónis tuæ, Dómine,
córdibus nostris infúnde,
ut, quos cælésti pane satiásti
in hac commemoratióne beátæ Teresiæ, matris nostræ,
amóris tui virtútem fácias inquirere
et caritátis ignem univérso mundo inférre.
Per Christum Dóminum nostrum.

SEPTEMBER

Die 1 septembris S. Teresiæ Margaritæ a S. Corde Iesu Redi, virginis

Memoria

In domibus Italiæ: Festum

Anna Maria Redi Arretii, in Tuscia, nobili quidem genere orta est, anno 1747. Die 1 septembris 1764 cœnobium Florentinum Carmelitarum Discalceatarum ingressa, sibi peculiari necessitate usa est contemplativa cum apostoli Ioannis verbo: «Deus est caritas». Vitam transigens in charitate ac sui ipsius immolatione abditam, mature quidem ad perfectionem pervenit in heroica erga sorores servitute constituta. Diem obiit supremum Florentiæ, anno 1770. In Sanctorum album a Pio XI relata est.

Ant. ad introitum

1 Io 4, 16b

Deus caritas est,
et qui manet in caritate in Deo manet
et Deus in eo manet.

Ubi et quando celebratur gradu festi dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Deus, qui beátæ Teresiæ Margaritæ
de fontibus Salvatoris
inestimabiles dedisti humilitatis et caritatis haurire thesauros,
da nobis, ipsa intercedente,
numquam a caritate Christi separari.
Qui tecum vivit et regnat
in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculorum.

Super oblata

Suscipe, Domine, múnera
quæ beátam Teresiam Margaritam celebrantes exhibemus,
et nos, per immaculatam hostiam,
da iúgiter
in tuo conspectu pio sanctoque amore flagrare.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Col 3, 3-4

Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
Cum Christus apparuerit, vita vestra,
tunc et vos apparebitis cum ipso in glória.

Post communionem

Córpore et Sánguine Unigéniti tui sacra percéptio, Domine,
ab omnibus nos cadúcis rebus avértat,
ut exémplo beátæ Teresiæ Margaritæ valeámus
tui et sincera in terris caritate proficere,
et perpétua in cælis visione gaudere.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ubi et quando celebratur gradu festi adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 11 septembris
B. Mariæ a Iesu López de Rivas, virginis
In domibus Hispaniæ: Memoria

Maria López de Rivas nata est Tartanedi, in Hispania, anno 1560. Anno autem 1577 gregi Carmelitarum Discalceatarum Toletano sese quidem adiunxit, ubi, inter Dei laudes, vitam ad finem usque perduxit. Ipsi vero S. Teresiæ a Iesu dilectissima, insignis evasit propter altam mysteriorum Christi contemplationem, quam etiam ex Sacris Scripturis sibi derivaverat. Vita functa est Toleti, die 13 septembris 1640. In Beatorum numerum a Paulo VI, anno 1976, relata est.

Ant. ad introitum

Veni, sponsa Christi, áccipe corónam,
quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Collecta

Deus, qui beátæ Mariæ a Iesu, vírgini,
Fílii tui mystéria contemplári
eiúsque in se amóris imáginem reférre tribuísti,
eius nobis intercessióne concéde,
Iesum in ómnibus fidei ardóre nos quærere,
eúmque in nobis præsentem caritátis opéribus exhibere.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ a Iesu virginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Qui díligit me, díligétur a Patre meo,
et ad eum veniémus,
et mansiónem apud eum faciémus.

Io 14, 21.23

Post communionem

Quæsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémpló beátæ Mariæ a Iesu,
discámus te super ómnia semper inquirere,
et novi hóminis formam in hoc sæculo portáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 17 septembris
S. ALBERTI HIEROSOLYMITANI, EPISCOPI ET LEGISLATORIS ORDINIS NOSTRI
Festum

Albertus Avogadro, Castri Gualterii, in provinciis Æmiliæ, ad medium XII sæculum natus, postquam canonicis regularibus S. Crucis a Murtaria sese adnumeravit, eorundem factus est prior anno 1180. Bobiensis episcopus (1184), deinde Vercellensis (1185) creatus, anno 1205 ad Patriarchatum Hierosolymitanum translatus est, ubi vero cum verbis tum exemplo sese verum gessit pastorem paci quidem deservientem. Dum munus obit patriarchale (1206-1214), eremitis montis Carmeli rogantibus, Regulam ipse exaravit. Magistrum autem Hospitalis Sancti Spiritus, a quo tandem die 14 septembris 1214 interfectus est Accone, pravam ob vitæ rationem corripere ac deinde munere privare debuit. Ipsius autem cultus, in Ordine admodum vetustus, Romæ quidem ratus est anno 1609.

Ant. ad introitum

Ios 1, 8

Non recédât volúmen legis de ore tuo;
sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus,
ut custódias et fácias ómnia, quæ scripta sunt in eo.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui per beátum Albértum
evangélicæ vitæ formam nobis præbuísti,
ut caritátem perfécte consequerémur,
da nobis, ipso intercedénte,
in obséquium Iesu Christi semper vívere
et eídem fidéliter usque ad mortem deservíre.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Múnera quæ reverénte offerimus, Dómine,
fidéles Verbi tui reddant custódes et præcónes
quos dilectiónis tuæ testes
in mundo elegísti.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 23, 10. 8

Dicit Dóminus: Magíster vester unus est, Christus.
Omnes autem vos fratres estis.

Post communionem

Per huius sacraménti virtútem et beáti Albéerti intercessiónem,
quæsumus, Dómine,
in tui nos iúgiter præsentia serváre dignéris,
ut, die ac nocte in lege tua meditántes et in oratióibus vigilántes,
ad ætérnum glóriæ tuæ collóquium pertíngere mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Translata a die 17 septembris

Die 18 septembris

S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiae doctoris

vel

S. Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiae doctoris

Ut in Missale Romano.

OCTOBER

Die 1 octobris

S. TERESIAE A IESU INFANTE, VIRGINIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

Festum

In domibus Galliae: Sollemnitatis

Nata anno 1873 Alencione, Carmelitarum Discalceatarum cœnobium Lexovii admodum iuvenis ingressa est. Peculiarem humilitatem, evangelicam simplicitatem professa, se Deo totam concredidit. Eisdem autem virtutes, cum verbis tum exemplo, novicias indesinenter docebat. Scientia divinæ charitatis redundans, die quidem 9 iunii 1895 sese obtulit «hostiam holocausti Misericordiae Dei Amori». Vita quidem animis servandis, Ecclesiae exaugendae consecrata, animam tandem efflavit die 30 septembris 1897. Pius XI sanctam ipsam anno 1925 decrevit necnon missionum Patronam anno 1927 proclamavit. In numerum Doctorum Ecclesiae a Ioanne Paulo II relata est, anno 1997.

Ant. ad introitum

Cf. Deut 32, 10-12

Circumdúxit eam Dóminus et dócuit;
et custodívit quasi pupíllam óculi sui.
Sicut áquila expándit alas suas,
et assúmpsit eam, atque portávit in húmeris suis.
Dóminus solus dux eius fuit.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Deus, qui regnum tuum humilibus parvulisque dispónis,
fac nos beátæ Teresiae trámitem prósequi confidénter,
ut, eius intercessióne, glória tua nobis revelétur æténa.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Ubi et quando celebratur gradu sollemnitatis dicitur Credo.

Super oblata

In beáta Terésia te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam suppliciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur officia.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Evangelium amoris parvulis revelatum est.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spíritu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beátam Terésiam inter párvulos voluísti
quibus tui Regni revélas mystéria,
ut per suam cum Christo absconditam vitam
tui miseréntis amóris evangélium
homínibus nuntiáret.

Spíritus enim tui acta ardóribus,
universále salutis sacraméntum persénsit,
et géntibus ómnibus ad Christum et Ecclésiam
per oratióem et sacrificium trahéndis
semetípsam peramánter sacrávit.

Et ideo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum láudis tibi cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Ant. ad communionem

Dicit Dóminus: Nisi convérsi fuéritis
et efficiámini sicut párvuli,
non intrábitis in regnum cælórum.

Mt 18, 3

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine,
illíus in nobis vim amóris accéndant,
quo beáta Terésia se tibi addíxit,
tuámque cúpiit miseratióem pro ómnibus impetráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 15 octobris
**S. TERESIÆ A IESU MATRIS NOSTRÆ,
VIRGINIS ET ECCLESIAE DOCTORIS**
Sollemnitatis

Teresia de Cepeda y Ahumada nata est Abulæ, in Hispania, anno 1515. Carmelitarum ordinem ingressa, in via perfectionis profecit, crebra mysticarum gratiarum accessione. Anno 1562 sui ipsius Ordinis reformationem aggressa, multos pertulit et labores et tribulationes. Deo tamen adiuvante ac probis amicis (inter quos S. Ioannis a Cruce nempe commemorandus) opem ferentibus, omnes ac singulas devicit difficultates. Opera conscripsit altissimæ quidem doctrinæ referta, sui ipsius innixa vicissitudinibus. Albæ ad Tormum, die 4 octobris 1582, postquam vero plurima condidit cœnobias atque Ordinis virilis cœperat reformationem aggredi, animam Deo reddidit. In Sanctorum album a Gregorio XV, anno 1622, relatam, Paulus VI Doctorem Ecclesiæ, anno 1970, decrevit.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 41, 2-3

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,
ita desiderat anima mea ad te, Deus.
Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Deus, qui per Spíritum tuum
beátam Terésiam, matrem nostram, suscitásti,
ut requirendæ perfectiónis sémitam Ecclesiæ manifestáret,
da nobis et cæléstis eius doctrinæ pábulo semper nutriri,
et veræ sanctitátis desidério accénderi.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Dicitur Credo.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, tuæ sint accépta maiestáti,
cui beátæ Teresiæ, matris nostræ,
tantópere plácuít devotiónis obséquiúm.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: De Christo omnis sanctitatis fonte.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
in ómnium Sanctórum provéctu te mirábilem prædicáre,
et hódie beátam Terésiam celebrántes,
cum ipsa misericórdias tuas decantáre.

Quia tu es Deus vivus et verus,
qui bonitate et sapientia universas creaturas praesentia tua replet
et mansionem gratiae in cordibus nostris facere voluisti.
Immensa caritatis tuae sacramentum
in mysteriis carnis Christi revelare disposuisti,
ipsum nobis donans in fragilitate socium,
veritatis magistrum,
colloquii cum te filialis exemplar,
mirae caritatis donatione amicum et sponsum,
Ecclesiae sanctitatis fontem perennem.

Quem caeli et terra, quem Angeli et Archangeli
confitentur et proclamant, incessabili voce dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Vel praefatio: De S. Teresiae charismate in Ecclesia (p. 82).

Ant. ad communionem

Misericordias Domini in aeternum cantabo;
in generationem et generationem
annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Ps 88, 2

Post communionem

Subdita tibi familia, Domine Deus noster,
quam caelesti pane satiasti,
fac ut, exemplo beatae Teresiae,
misericordias tuas in aeternum cantare laetetur.
Per Christum Dominum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 30 octobris
B. Mariæ Teresiæ a S. Iosepho Tauscher, virginis

Anna Maria Tauscher nata est anno 1855 Sandow, in marchionatu Brandenburgensi (quæ hodie Polonia appellatur) parentibus Lutheranis, Deum autem pietissime excolentibus. In fide igitur Lutherana educata, anno tamen 1888, utpote quæ fidem Catholicam esset amplexa, domo expulsa ac laboris ministerio spoliata est. In fidei autem itinere progrediens, «Vita» S. Teresiæ a Iesu perlecta, se quidem Carmelo consecrandi cepit consilium. At per eius operam ut aliud conderetur Institutum cum Dominus constituisset, anno igitur 1891, Berolini, orta est Congregatio Sororum Carmelitarum Divini Cordis Iesu. Vitam et operam cum penitus pueris rerum indigis excipiendis vovisset, animam Deo reddidit Sitardæ, in Batavia, anno 1938. Inter Beatorum numerum a Benedicto XVI, anno 2006, relata est.

Ant. ad introitum

Cf. Ps 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum;
quæritis Dóminum et confirmámini,
quærite fáciem eius semper.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
qui beátam Mariám Terésiam miro stúdio imbuísti,
ut pópulo tuo perseveránti oratióne et ópere inservíret,
concéde nobis, eius intercessióne,
ut, eodem amore etiam in ærúmnis operántes,
Ecclésiám tuam inpénse ædificáre valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Accépta tibi sint, quæsumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beátæ Mariæ Teresiæ commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 5, 3

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Post communionem

Quæsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémpló beátæ Mariæ Teresiæ,
discámus te super ómnia semper inquirere,
et novi hóminis formam in hoc sæculo portáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

NOVEMBER

Die 5 novembris

B. Franciscæ de Ambosia, religiosæ

Francisca de Ambosia nata est anno 1427, fortasse Thoarce, in Gallia. Quindecim annos nata, Petro II duci Britanniae nupsit, quocum regiam accepit coronam Redone, anno 1450. Vidua tamen facta anno 1457, ad vitam religiosam se contulit. Quapropter, anno 1463, Carmelum muliebrem Bondonis condidit, quo vero, ipso B. Ioanne Soreth suadente, postquam ingressum fecit, alterum etiam constituit cœnobium Namneti. Forti quidem animo priorissa, materna clementia necnon ingenio ad mentes et corda altius rimandum acutissimo, magnæ quidem sapientiæ, qua sororum spiritus aleretur, exhortationes post se reliquit. *Bona Ducissa*, quo nomine appellari consuevit, animam Deo reddidit die 4 novembris 1485, a Pio IX inter Beatorum numerum relata, anno 1866.

Ant. ad introitum

Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsit
propter amorem Dómini mei Iesu Christi,
quem vidi, quem amavi,
in quem credidi, quem dilexi.

Collecta

Deus, qui beatam Franciscam
ad cælorum regnum in hoc sæculo perquirendum
per tui et beatæ Mariæ Virginis famulatum vocasti,
concede, ut eius intercessiōne roborati,
in delectiōnis via spírítu gaudentes progrediamur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spírítus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Devotiōnis nostræ múnera, Dómine,
in beatæ Franciscæ commemoratiōne
tibi sacranda deférimus,
qui temporáli consolatiōne significas,
ut promissa non desperemus æténa.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Unum est necessarium:
óptimam partem elégit,
quæ non auferétur ab ea.

Lc 10, 42

Post communionem

Salutáribus, Dómine, fóntibus recreáti,
te súpplíces exorámus,
ut, beatæ Franciscæ intercessiōne,
Christo in dies intímius adhæréntes,
in eius regno grátiae mereámur esse consórtes.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 6 novembris
S. Nonii a S. Maria Alvares Pereira, religiosi
In domibus Lusitaniæ: Memoria

Anno 1360 in lucem editus, Nonius Alvares Pereira multos annos veluti signifer fuit Lusitanorum in suum quidem ius libertatemque vindicandorum, adeo vero, ut summa militaris cursus culmina attigerit. Uxore autem defuncta, anno 1423 Carmelum Ulyssipponæ, quem ipse antea condiderat, simplicis religiosi gradu ingressus est. Eodem in cœnobio diem obiit supremum anno 1431, postquam orationis, pœnitentiæ, filialis erga Virginem pietatis exemplum omnibus se præbuit. In Sanctorum album relatus est a Benedicto XVI, anno 2009.

Ant. ad introitum

Cf. 2 Cor 10, 4a. 5b

Arma militiæ nostræ non carnalia sunt sed potentia Deo,
in captivitatem redigentes omnem intellectum
in obsequium Christi.

Collecta

Deus, qui beatum Nonium,
sæculi abiectis armis,
ad Christi sequelam, sub protectione Virginis Mariæ vocasti,
eius, quæsumus, intercessione concede,
ut, nosmetipsos abnegantes,
tibi toto corde adhærere valeamus.
Per Dñm nostrum Iesum Christum Fñm tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spñs Sancti, Deus,
per òmnia sæcula sæculòrum.

Super oblata

Clementissime Deus,
qui, vete hómine consúpto,
novum secúndum te in beato Nonio creáre dignátus es,
concede propítius, ut nos páriter renováti
hanc placatiónis hóstiam tibi acceptábilem offerámus.
Per Christum Dñm nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos, qui reliquistis òmnia,
et secúti estis me, céntuplum accipiétis,
et vitam ætérmam possidébitis.

Post communionem

Quæsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémplò beáti Nonii discámus te super òmnia semper inquirere,
et novi hómínis formam in hoc sæculo portáre.
Per Christum Dñm nostrum.

Die 7 novembris
B. Francisci a Iesu Maria Iosepho Palau y Quer, presbyteri

Franciscus Palau y Quer natus est Aytonæ in provincia Ilerdæ die 29 decembris 1811. Carmelita Descalceatus anno 1832 factus, anno deinde 1836 sacerdos creatus est. Patriæ autem vicissitudines ipsum, ut cum claustra relinqueret tum exilium peteret, compulerunt. Cum tamen in Hispaniam deinceps reversus esset, Barcinonæ quidem, anno 1851, *Scholam Virtutum* condidit. Schola tamen suppressa, ipse apud Ebusum inique relegatus ab anno 1854 usque ad 1860 solus atque a rebus procul seiunctus ex insula Es Vedrà vicissitudines Ecclesiæ expertus est. In insulis postea Balearibus congregationem condidit Fratrum et Sororum Carmelitarum (1860-1861). Missiones prædicans populares, pietatem Marianam ubique propagavit. Animam Deo reddidit Tarracone, die 20 martii 1872. In Beatorum numerum a Ioanne Paulo II relatus est, anno 1988.

Ant. ad introitum

Cf. Is 52, 7

Quam pulchri super montes
pedes annuntiántis et prædicántis pacem,
annuntiántis bonum, prædicántis salútem!

Collecta

Deus, qui per Spíritum tuum
beátum Francíscum presbýterum
oratiónis et apostólicæ caritátis
insígni dono replevísti,
eo intercessióne concéde,
ut dilécta Christi Ecclésia
Víriginis Matris Mariæ pulcritúdine fulgens
efficácius sit universále salútis sacraméntum.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Réspice quas offérimus hóstias, omnípotens Deus,
in beáti Francisci festivitáte, et pæsta,
ut, qui domínicæ passiónis mystéria celebrámus,
imitémur quod ágimus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 10, 27

Quod dico vobis in ténebris,
dícite in lúmine, dicit Dóminus,
et quod in aure audítis,
prædicáte super tecta.

Post communionem

Sacraménta quæ sumpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant caritátis ardórem,
qui beátus Franciscus veheménter accénsus
pro Ecclésia tua se iúgiter impendébat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 8 novembris
S. Elisabeth a S.ma Trinitate Catez, virginis
Memoria

Elisabetha Catez nata est apud castra militum Avoris, in Gallia, anno 1880. Æquo maturius patre orbata, annum ætatis agens XIV Christo suam vovit virginitatem. Præstantissima quidem clavicymbali magistra, matre sibi obstante devicta, anno 1910 Carmelum Discalceatarum Divione ingressa, ibi professionem emisit anno 1903. Diutinum autem necnon acerbum morbum perpessa, *ad lucem, amorem, vitam* patriæ cælestis transitum tandem fecit die 9 mensis novembris 1906. Quippe quæ germana fuit in spiritu et veritate adoratrix, animi ægritudinibus doloribusque corporis obsessa, sese quidem *laudem gloriæ* obtulit Trinitati, quam sibi continenter animo præsentem atque adstantem animadvertibat. In Sanctorum album a Francisco relata est, anno 2016.

Ant. ad introitum

Hæc est virgo sápiens,
quam Dóminus vigilántem invénit,
quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum
et, veniénte Dómino,
introívit cum eo ad núptias.

Collecta

Dives in misericórdia, Deus,
qui beátæ Elisabéthæ a Trinitáte vírgini
arcánæ mansiónis tuæ in ánima iusti
mystérium reserásti,
eamque tui adoratricem in spíritu et veritáte reddidísti,
ipsa intercedénte, concéde,
ut dilectióne Christi nos quoque manéntes,
Spíritus Amóris templa
in láudem glóriæ tuæ éffici mereámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquiium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Elisabéthæ vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ.

Cf. Ps 26, 4

Post communionem

Córpore et Sánguine Unigéniti tui sacra percéptio, Dómine,
ab ómnibus nos cadúcis rebus avértat,
ut, exémplo beátæ Elisabéthæ valeámus
et sincéra in terris caritáte proficere,
et tui perpétua in cælis visióne gaudére.
Per Christum Dóminum nostrum.

Translata a die 15 novembris

Die 13 novembris

S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Ut in Missale Romano.

Die 14 novembris
OMNIUM SANCTORUM ORDINIS NOSTRI
Festum

Carmelus, qui se totum ad orationem versus, ad rerum divinarum contemplationem protendit, Evangelio et Regulæ enixe inhiat. Dignatus est Spiritus Sanctus, ut nostram familiam faceret usque fecundam, viros feminasque eximia sanctitatis suscitando, qui cum vitæ spiritualis magistri, tum testes sunt facti pulchritudinis eos omnes afficientis, qui se penitus Christo dedere constituissent (cf. Constitutiones OCD, 5 et 17). Quæ dum memoria celebratur, Ordinis familia eo consilio hos complectitur patres decessores, ut Deo gratias agat suosque quidem in sanctitatis itinere gressus confirmet.

Ant. ad introitum

Cf. Is 56, 7a. 7c.

Addúcam eos in montem sanctum meum,
et lætificábo eos in domo oratiónis meæ;
quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Adiuvent nos, Dómine,
beátæ Vírginis Mariæ, matris nostræ, patrocínium
et Sanctórum carmelitárum cumuláta suffrágia,
ut, eórum vestígiis fidéliter inhæréntes,
Ecclésiám tuam
oratióne et ópere iúgiter adiuvémus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Tríbue nobis, Dómine,
ut, exémplo Sanctórum Ordinis beátæ Mariæ de Monte Carmélo,
virtútem divínæ præsentíæ fórtiter testificántes
et dulcédinem supérnæ glóriæ prægustántes,
ad salutárem hóstiam tibi offeréndam
prómpcius accedámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Heb 12, 1ac-2a.

Nos tantam habéntes circumpósitam nubem téstium
per paciéntiam currámus propósitum nobis certámen,
aspiciéntes in ducem fidei et consummatórem Iesum.

Post communionem

Quos Christo réficis pane vivo
eósdem édoce, Dómine, Christo perfectiόνis magístro,
ut, Sanctórum Carmelitárum exémpla sectándo,
et cum Christo te contemplári non désinant,
et cum ipso ánimam pro frátribus pónere non vereántur.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 15 novembris

In Commemoratione omnium defunctorum Ordinis Nostrī

Quando hæc commemoratio incidit in dominicam, ad ferias sequentes, iuxta Normas de Missis Defunctorum, transferri potest.

Eodem erga Christum amore in unum congregati ac maxime Mariæ Virgini confisi, omnia quidem familiæ Carmelitanæ membra aliud alia fraterna excolunt charitate, sive his in terris adhuc in via pergant, sive iam Cæli supremam attigerint gloriam, sive in Purgatorio visionem etiamdum Domini gloriosi exspectent. Quapropter cuncta hodie Ordinis ipsius familia fratres sororesque iam vita defunctos Deo commendat misericordi, ut in Paradisum quidem, Maria Virgine intercedente, aliquando excipiantur.

Ant. ad introitum

Cf. Rom 8, 11

Deus, qui suscitávit Iesum a mórtuis,
vivificábit et mortália córpora nostra,
propter inhabitántem Spíritum eius in nobis.

Collecta

Deus, servórum tuórum glória,
concéde frátribus et soróribus nostris defúntis
qui, salutári Baptísmatis unda
et sacris Carméli vínculis coniúnti,
Christum eiúsque Matrem sunt secúti,
ut te conditórem et redemptórem possint perpétuo contemplári.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Propitiáre, quæsumus, Dómine,
frátribus et soróribus nostris defúntis,
pro quibus tibi hóstias placatiónis offérimus,
et quia in hac vita tibi mansérunt fidéles,
apud te pia illis retribútio donétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Cf. Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Repléti, Dómine, vitálibus sacraméntis,
supplíciter deprecámur
ut, virtúte huius sacrificii,
cuncti familiæ nostræ defúnti
ætérni fiant incolæ Regni
cum beáta Virgine María,
cuius se dedicárunť obséquiis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 19 novembris
S. Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri
Memoria

Iosephus Kalinowski natus est Vilniæ (in Lituania), ortus ex familia Polona, anno 1835. Ipse dum præfecti munere exercitus zaristici fungitur, quippe qui a partibus frustratæ seditionis Polonicæ stetisset, in exsilium expulsus, in Siberia ad opus publicum damnatus, solidum decennium pœnas luebat. Anno 1877 Carmelum ingressus, sacerdos anno 1882 creatus est. Ardens Ecclesiæ unitatis defensor, operam indefessam in ministerio confessionis necnon spiritalis regiminis collocavit. Carmeli Ordine in Polonia instaurato, diem obiit supremum Vadovice, anno 1907. In Sanctorum album a Ioanne Paulo II anno 1991 relatus est.

Ant. ad introitum

Lc 4, 18.19

Spíritus Dómini super me: propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me,
sanáre contrítos corde,
dimíttre confráctos in remissióne.

Collecta

Deus, qui sanctum Raphaélem presbýterum
spíritum in advérsis fortitúdinis
et exímio caritátis ardóre
ad Ecclésiæ unitátem fovéndam replevísti,
eius intercessióne, concéde,
ut fortes in fide et ínvicem diligéntes
ad ómnium fidélium in Christo unitátem
generóse cooperémur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Salútis nostræ memoriále, Dómine,
quod in hac festivitáte sancti Raphaélis presbýteri
tuæ offérimus maiestáti,
fiat nobis signum unitátis et vínculum caritátis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre,
et dare ánimam suam redemptiόνem pro multis.

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine, Deus noster,
fámulos tuos in unitáte fidei confirment,
pro qua sanctus Ráphael laboráre non déstitit
et vitam suam iúgiter impéndit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 25 novembris
B. Annæ a Iesu Lobera Torres, virginis

Anna Lobera Torres nata est Medinæ in Campo (prope Vallisoletum in Hispania), die 25 novembris 1545. S. Teresiam a Iesu, quæ eam Abulam, in cœnobium Carmelitarum Discalceatarum primum, secum excepit, Salmanticam quoque et Vias demum comitata est. Cum Illiberrem attigit, ubi novum conderet monasterium, id a S. Ioanne a Cruce impetravit, ut hic animadversiones, Annæ quidem dedicaturus, in Canticum Spiritualem elucubraret. Postquam autem varias domicilii commutationes ac nonnulla vitæ incommoda sustinuit, anno 1604, una cum B. Anna a S. Bartholomæo, operam in cœnobia in Gallia Belgicaque condenda contulit. Bruxellis, cum dolores quidem et animo et corpore ingentes per aliquot annorum spatium tulisset, animam tandem Deo reddidit, die 4 martii 1621. In Beatorum numerum a Francisco die 29 mensis septembris 2024 relata est.

Ant. ad introitum

Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsisti
propter amorem Dómini mei Iesu Christi,
quem vidi, quem amavi,
in quem credidi, quem dilexi.

Collecta

Deus, qui beatæ Annæ a Iesu
gratiam tribuisti cognoscendi
tuæ caritatis mysterium
in Christo Fílio tuo revelatum,
concede nobis, quæsumus, eius intercessiõne,
ut, te fideliter et super omnia amantes,
semper in communiõne tecum et fratribus vivere valeamus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Devotiõnis nostræ múnera, Dómine,
in beatæ Annæ commemoratiõne
tibi sacranda deférimus,
qui temporáli consolatiõne significas,
ut promissa non desperemus ætérna.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Unum est necessarium:
optimam partem elégit,
quæ non auferétur ab ea.

Lc 10, 42

Post communionem

Salutáribus, Dómine, fõntibus recreáti,
te súpplices exorámus,
ut, beatæ Annæ intercessiõne,
Christo in dies intímius adhæréntes,
in eius regno gratiæ mereámur esse consórtes.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 29 novembris

Bb. Dionysii a Nativitate, presbyteri, et Redempti a Cruce, religiosi, martyrum

In domibus Indiæ et Indonesiæ: Memoria

Dionysius a Nativitate, sacerdos (cui nomen in sæculo fuit Petro Berthelot), natus est in Gallia, in oppido Honflorio, anno 1600. Cosmographus necnon navarchus regum Galliaë et Lusitaniaë, habitum Carmelitanum induit Goæ, anno 1635, ubi vero *fratrem conversum* creavit Thomam Rodrigues a Cunha, Lusitanum, anno 1598 natum, qui deinde nomen sibi imposuit Redempto a Cruce. Sumatram missi, fidem in Christo collocatam martyrii quidem palma coronaverunt die 29 novembris 1638, Aquæ. In Beatorum numerum a Leone XIII anno 1900 adnumerati sunt.

Ant. ad introitum

Gáudent in cælis ánimæ Sanctórum,
qui Christi vestígia sunt secúti;
et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt,
ideo cum Christo exsúltant sine fine.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátis Dionýsio et Redémpto pro Christo pati donásti,
nostræ quoque fragilitáti divínium præténde subsídium,
ut sicut illi pro te mori non dubitárunť,
ita nos fortes in tua confessióne vívere valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Mártyrum tuórum Dionýsii et Redémpti passiónem venerántes,
fac nos, Dómine, hoc sacrificio
mortem Unigéniti tui digne annuntiáre,
cui parum fuit hortári mártýres verbo,
nisi firmáret exémplo.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Qui perdíderit ánimam suam propter me
et propter Evangélium, dicit Dóminus,
salvam eam fáciť.

Mc 8, 35

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
súpplices te rogámus,
ut, exémplo beatórum Dionýsii et Redémpti,
caritátis et passiónis Fílii tui
in méntibus nostris signa ferámus,
et perpétuæ pacis fructu iúgiter perfruámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

DECEMBER

Translata a die 11 decembris

Die 10 decembris

S. Damasi I, papæ

Ut in Missale Romano.

Die 11 decembris
S. Mariæ Mirabiliæ a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, virginis
Memoria

Maria Mirabilia Pidal y Chico de Guzmán nata est Matriti, anno 1891. Carmelum *El Escorial* (prope Matritum iacentem) ingressa est die 12 octobris 1919. Anno deinde 1924, sub divino scilicet afflatu, Carmelum condidit in oppido Cerro de Los Ángeles, prope monumentum Sacri Cordis Iesu, cui postea unum amplius in India, novem in Hispania successerunt cœnobîa. Semper orationem immolationemque sibi habuit peculiare, germano quidem gloriæ divinæ studio zeloque animata. Ex clausura quoque, dum pauperem ducit vitam, nonnullis inceptis apostolicis, socialibus ac charitatis plenis fulcimen præstitit. Opem suo potissimum Ordini tulit, necnon sacerdotibus aliisque religiosorum congregationibus. Animam Deo reddidit in monasterio *La Aldehuela* (Matriti), die 11 decembris 1974. In Sanctorum album a Ioanne Paulo II anno 2003 relata est.

Ant. ad introitum

Gaudeamus et exultemus, quia Dóminus ómnium
diléxit vírginem sanctam atque gloriósam.

Collecta

Deus, qui beátam Mariám Mirabiliæ a Iesu
ad íntima Cordis Filii tui attraxísti,
eius intercessióne et exémplo concéde
ut, tuæ caritátis experiéntes delicias,
ad salútem animárum cooperári valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Dicátæ, quæsumus, Dómine, capiámus oblatiónis efféctum,
ut, beátæ Mariæ Mirabiliæ exémplo,
terrénæ vetustátis conversatióne mundáti,
cæléstis vitæ profécibus innovémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum
in vasis suis cum lampádibus.
Média autem nocte clamor factus est:
Ecce sponsus venit,
exíte óbviám Christo Dómino.

Cf. Mt 25, 4. 6

Post communionem

Córporis et Sánguinis unigéniti tui sacra percéptio, Dómine,
ab ómnibus nos cadúcis rebus avértat,
ut exémplo beátæ Mariæ Mirabiliæ valeámus
tui et sincéra in terris caritáte profícere,
et perpétua in cælis visióne gaudére.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 14 decembris
**S. IOANNIS A CRUCE PATRIS NOSTRI,
PRESBYTERI ET ECCLESIAE DOCTORIS**
Sollemnitatis

Ioannes de Yepes natus est in oppido Fontis Tiberii, in Hispania, anno 1542. Postquam Carmelum ingressus est coenobii Medinae, anno 1568, S. Teresia a Iesu moderante, Ordinis virilis reformationem incohavit, quam autem, quamvis laboribus doloribusque oppressus, intermittere numquam passus est. Functus vero muneribus et viri politici et praecceptoris, ministerio quidem regiminis spiritalis, prudentia in animorum condicionibus discernendis et insigni sanctitate (gratiis autem ditata mysticis) sese perspicuum reddidit. Anno 1591 diem obiit supremum Ubedae, gazis, quas carmina operaque eius testantur spiritualia, eminentis doctrinae relictis. In Sanctorum album relatus est a Benedicto XIII, anno 1726; raturus est Ecclesiae Doctor a Pio XI, anno 1926.

Ant. ad introitum

Mihi autem absit gloriari,
nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Gal 6, 14

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta

Deus, qui sanctum Ioannem presbyterum, patrem nostrum,
perfectae sui abnegationis
et crucis amatorem eximium effecisti,
concede ut, eius imitationi iugiter inherentes,
ad contemplationem gloriae tuae perveniamus aeternam.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

Dicitur Credo.

Super oblata

Respice quas offerimus hostias, omnipotens Deus,
in sollemnitate beati Ioannis, patris nostri,
et presta,
ut, qui dominicae passionis mysteria celebramus,
imitemur quod agimus.
Per Christum Dominum nostrum.

Præfatio: In Christo Pater omnia nobis donavit.

Ÿ. Dominus vobiscum.

Ŕ. Et cum spiritu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habemus ad Dominum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus:

Et te in sollemnitate beáti Ioánnis
débitis magnificáre præcóniis
per Fílium dilectiónis tuæ, Iesum Christum,
Verbum tuum, per quod cuncta fecísti,
cuiúsque pulchritúdine et bonitate
creatúras univérsas induísti.
Ipse enim est nobis plenitúdo revelatiónis et grátiae,
in quo ómnia locútus es nobis,
ómnia cæléstia et terréstria donásti.
Qui, per paschále crucis et resurrectiόνis mystérium,
hómínes tibi reconcílians,
ad íntimam tecum societátem redúxit
et univérsam creatiόνem ad te rursus sublevávit.
Nunc autem Ecclésiæ caput et sponsus,
Sanctórum coróna mirábiliter refúlget.

Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Vel præfatio: S. Ioannes dux ad íntimam cum Deo communionem (p. 84).

Ant. ad communionem

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me, dicit Dóminus.

Mt 16, 24

Post communionem

Deus, qui crucis mystérium
in beáto Ioáanne, patre nostro, mirábiliter illustrásti,
concéde propítius, ut, ex hoc sacrificio roboráti,
Christo fidéles hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Adhiberi potest formula benedictionis sollemnis.

Die 16 decembris
B. Mariæ ab Angelis Fontanella, virginis

Marianna Fontanella nata est Augustæ Taurinorum, anno 1661, ubi, postquam totum humanæ vitæ transegit cursum, diem obiit supremum anno 1717. Ingressum fecit in eiusdem, ubi orta est, urbis cœnobium Carmelitarum Discalceatarum, cuius haud semel priorissæ munere postmodum fungebatur, anno 1675: hic quidem novitias germano imbuit spiritu teresiano. Sine ulla fere intermissione in spiritalibus tenebris continuisque orationibus demersa, pæne innumera ardentis charitatis exempla sororibus in hereditatem reliquit. In honorem quidem S. Iosephi, quem unica semper excolebat pietate, monasterium condidit in oppido Montis Calerii (Augusta Taurinorum). In Beatorum numerum relata est a Pio IX, anno 1865.

Ant. ad introitum

Veni, sponsa Christi, áccipe corónam,
quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Collecta

Deus, qui te in puris manére córdibus ásseris,
da nobis, beátæ Mariæ ab Angelis vírginis intercessióne,
per grátiam tuam tales exsistere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquiium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ Mariæ ab Angelis vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Optimam partem elégit sibi virgo prudens,
quæ non auferétur ab ea.

Cf. Lc 10, 42

Post communionem

Cælésti pane refécti,
humíliter deprecámur cleméntiam tuam, Dómine,
ut, qui de beátæ Mariæ ab Angelis commemoratióne gaudémus,
véniam delictórum, sospitátem córporum,
gratiámque et glóriam ætérnam consequámur animárum.
Per Christum Dóminum nostrum.

APPENDIX

APRILIS

In domibus Poloniæ:

Die 24 aprilis

B. Teresiæ Mariæ a Cruce Manetti, virginis

Ut in die 23 aprilis.

IULIUS

In domibus Europæ:

Die 7 iulii

B. Mariæ Virginis, Matris Divinæ Gratiae

Memoria

Ut in die 23 iulii.

In domibus Hispaniæ:

Die 24 iulii

Bb. Mariæ a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García, Teresiæ a Iesu Infante et S. Ioanne a Cruce García y García et Mariæ ab Angelis a S. Iosepho Voltierra Tordesillas, virginum et martyrum

De Communi martyrum vel de Communi virginum.

Collecta

Deus, humílium fortitúdo,
qui beátas Mariám a Colúmna,
Terésiam et Mariám ab Angelis vírgines
mirábiliter in martýrio sustinuísti,
ipsis intercedéntibus concéde,
ut, sicut illæ læto ánimo
sánguinem pro Christo Rege fuderunt,
nos quoque tibi et Ecclésiæ tuæ
ad mortem usque fidéles maneámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǎcula sǎculórum.

AUGUSTUS

In domibus Hollandiæ:

Die 2 augusti

**S. TERESIÆ BENEDICTÆ A CRUCE STEIN, VIRGINIS ET MARTYRIS,
PATRONÆ EUROPÆ**

Festum

Ut in die 9 augusti.

In domibus Hispaniæ:

Die 16 augusti

**B. Mariæ a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero, virginis et
martyris**

De Communi martyrum vel de Communi virginum.

Collecta

Deus, qui beátam Mariám Sagrário
spíritu oratiónis et devotióne eucarística
ad martýrium subéndum præparásti,
concéde, ut, eius exémplo,
voluntátem tuam in ómnibus fidéliter adimpléntes,
vitam nostram pro te libénter impendámos.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

In domibus Galliæ:

Die 30 augusti

S. Mariæ a Iesu Crucifixo Baouardy, virginis

Memoria

Ut in die 25 augusti.

In domibus Poloniæ:

Die 30 augusti

In transverberatione cordis S. Teresiæ a Iesu matris nostræ

Ut in die 26 augusti.

NOVEMBER

In domibus Austriae:

Die 16 novembris

In Commemoratione omnium defunctorum Ordinis Nostri

Ut in die 15 novembris.

In domibus Poloniae:

Die 20 novembris

S. Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri

Memoria

Ut in die 19 novembris.

In domibus Austriae et Germaniae:

Die 23 novembris

S. Raphaelis a S. Iosepho Kalinowski, presbyteri

Memoria

Ut in die 19 novembris.

MISSÆ VOTIVÆ

Occurrente aliqua graviore utilitate pastorali, Missa votiva adhiberi potest, de mandato vel licentia Ordinarii loci, exceptis sollempnitatibus, dominicis Adventus, Quadragessimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

Missæ votivæ per se prohibentur in diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris, feria temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschalis. Si tamen utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi potest Missa votiva huic utilitati respondens, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis.

In feriis per annum, etiamsi occurrit memoria ad libitum, Missa votiva eligi potest a sacerdote celebrante pro pietate fidelium.

1. DE IESU INFANTE

Ant. ad introitum

Is 9, 6

Puer natus est nobis, et filius datus est nobis,
cuius impérium super húmerum eius,
et vocábitur nomen eius magni consílii Angelus.

In ecclesiis titularis ubi celebratur gradu sollemnitatis dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Fac nos, Dómine,
Unigéniti tui divinitátem in humilitáte carnis agnóscere
et omnipoténtiam in fragilitáte infántiæ venerári,
ut illi simplicitáte spíritus adhæréntes,
et regnum tuum parvulórum ánimo recipiámus,
et promíssa humílibus præmia consequámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

In ecclesiis titularis ubi celebratur gradu sollemnitatis legitur duo lectiones.

In ecclesiis titularis ubi celebratur gradu sollemnitatis dicitur Credo.

Super oblata

Hæc oblátio, qua divíni cultus nobis est índita plenitúdo,
sit tibi, Dómine, perfécta placátio,
ut sacrosáncta Incarnatiónis Fílii tui mystéria
et exsultántibus ánimis celebrémus
et fidei devotióne sectémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio I de Nativitate Domini: De Christo luce; vel de Epiphania Domini: De Christo lumine gentium.

Ant. ad communionem

Cf. Lc 2, 51

Descéndit Iesus cum María et Ioseph,
et venit Názareth,
et erat súbditus illis.

Post communionem

Sacro múnere satiátis, concéde, Dómine,
cum Fílio tuo, de Vírgine nato,
in his quæ tui sunt perpétuo manére,
ut, ætáte, sapiéntia et grátia crescéntes,
in nobis te complácitum sentíre mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

2. DE BEATA MARIA A MONTE CARMELO

Præter formulas quæ diei 16 iulii habentur, adhiberi possunt Missæ quæ sequuntur.

A

Ant. ad introitum

Gáudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis,
et induménto iustítiae circúmdedit me.

Is 61, 10

Collecta

Deus, qui beatíssimæ semper Vírginis
et Genetrícis Fílii tui Maríæ
singulári título Carméli Ordinem decorásti,
concéde propítius,
ut, cuius commemoratióem pio celebrámus officio,
eius muníti præsídiis,
ad gáudia sempitérna perveníre mereámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Beátæ Vírginis Maríæ memóriam celebrántes,
hæc múnera tibi, Dómine, reverénter offérimus,
ut, eius caritáti in tui servítio confórmes,
óperi Redemptiόνis árctius coniúngi valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: *B. Maria Virgo, mater et exemplar sanctitatis.*

Præsertim in missis votivis adhibenda, in quibus dicitur: in memória. In sollemnitate autem dicitur: in sollemnitate.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubique grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in . . . beatæ Mariæ semper Virgini
collaudare, benedicere et prædicare.
Quæ mysterio Christi tui intime sociata,
filios tibi cum Ecclesia generare non desinit,
quos ad perfectam caritatem persequendam
urget et excitat.
Inter quos nos etiam sibi devixit,
et nos trahendo in odorem virtutum suarum,
materno prossequitur amore.
Nos Ordinis sibi dicati veste protegit,
ut, eius imaginem in mundo referentes,
suo ipsius spiritu Verbum tuum iugiter contemplemur,
suo ipsius corde fratres diligamus,
eosdemque ad Christum, vitam impendendo, trahamus.

Et ideo, choris angelicis sociati,
te laudamus in gaudio confitentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Vel præfatio: De maternitate spiritali beatæ Mariæ Virginis (p. 33). In loco in sollemnitate dicitur in memoria.

Ant. ad communionem

Lc 1, 48

Beatam me dicent omnes generationes,
quia ancillam humilem respexit Deus.

Post communionem

Læta nos, quæsumus, Domine, cibo cælesti refectos,
beatissimæ Virgini Matris tuæ
commemoratio semper excipiat,
quæ iucunditatem nobis suæ protectionis
et pacis securitatem infundat,
et tibi nos reddat acceptos.
Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

B

Ant. ad introitum

Veníte, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.
Veníte, et ascendámus ad montem Dómini,
et ambulábimus in sémitis eius.

Ps 33, 12; cf. Is 2, 3

Collecta

Adiuvet nos, quæsumus, Dómine,
gloriosæ Vírginis Mariæ, Carméli matris et regínæ,
intercèssio veneránda,
ut, eius muníti præsídiis,
ad montem, qui Christus est,
perveníre valeámus.
Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Per hæc quæ offérimus,
sanctífica, quæsumus, Dómine, fámulos tuos,
quos sub nómine et protectióne
sanctæ Mariæ de monte Carmélo congregásti,
ut fidéliter promíssa adimpléntes,
tibi et Vírgini benedíctæ sincéro corde desérviant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: ut supra (p. 79).

Ant. ad communionem

Honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ tuæ.
Sicut qui thesaurízat, ita et qui honoríficat matrem suam.

Tob 4, 3; Sir 3, 5

Post communionem

Famíliae tibi Virgínique Mariæ dicátæ,
quæsumus, Dómine, concéde,
ut mensa Córporis et Verbi Unigéniti tui enutríta,
tecum íntime coniúncta iúgiter vivat,
et magnália dilectiónis tuæ mundo annúntiet.
Per Christum Dóminum nostrum.

3. DE S. TERESIA A IESU, MATRE NOSTRA

Præter missam diei 15 octobris indicatam, quæ sequitur adhiberi potest.

Ant. ad introitum

1 Reg 5, 9

Dedit ei Dóminus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis,
et latitúdinem cordis
quasi arénam quæ est in lítore maris.

Collecta

Deus, qui per Spíritum tuum
beátam Terésiam, matrem nostram, suscitásti,
ut requiréndæ perfectiónis sémitam Ecclésiæ manifestáret,
da nobis et cæléstis eius doctrínæ pábulo semper nutriri,
et veræ sanctitátis desidério accénderi.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Adsint, Dómine Deus, oblatiónibus nostris
sanctæ vírginis Teresiæ, matris nostræ, benígna suffrágia,
ut sacrosáncta mystéria,
in quibus omnis sanctitátis fontem constituísti,
nos quoque in veritate sanctíficent.
Per Christum Dóminum nostrum.

vel:

Súscipe, Dómine, hóstias quas immolámus,
illíus memóriam recoléntes
quæ se tibi dum víveret,
terrénis afféctibus mórtuam,
in igne caritátis immolávit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: De S. Teresiæ charismate in Ecclesia.

Præsertim in missis votivis adhibenda, in quibus dicitur: in memória. In sollemnitate autem dicitur: in sollemnitate.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spíritu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in . . . beátæ Terésiaë
collaudáre, benedicere et prædicáre.
Cui divínis simul et humánis dedísti munéribus abundáre,
ut divína amicítia
Christo sponso ac magístro sociáta,
de Ecclésiæ sanctitáte et unitáte
assídua prece et álacri pœniténtia sollicita exstáret.
Ipsam quoque Sanctórum sapiéntiæ charísmate ornátam,
perfectiónis magístram pópulo tuo præbuísti,
et spírítu matrem novæ Carméli familiæ.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Vel præfatio: De Christo omnis sanctitatis fonte (p. 57). In loco: et hódie beátam Terésiam celebrántes,
dicitur: et beátæ Terésiaë memóriam recoléntes.

Ant. ad communionem

Io 4, 14

Qui bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum,
sed aqua quam dabo ei fiet in eo
fons aquæ salientis in vitam ætérnam.

Post communionem

Sacraménto Fílii tui recreáti,
quæsumus, Dómine Deus noster,
ut beátæ Terésiaë spírítus nos herédes efficias
cuius et fílios esse singulári beneficio tribuísti.
Per Christum Dóminum nostrum.

vel:

Esto propítius plebi tuæ, omnípotens Deus,
ut, sanctæ Terésiaë confisa suffrágiis,
spírítus fervóre succendátur
et in renovatióne suscepta
immaculáta contínuo perseveret.
Per Christum Dóminum nostrum.

4. DE S. IOANNE A CRUCE, PATRE NOSTRO

Præter missam diei 14 decembris appositam, quæ sequitur adhiberi potest.

Ant. ad introitum

Ps 72, 28

Mihi autem adhærere Deo bonum est,
pónere in Dómino Deo spem meam,
ut annúntiem omnes operatiónes tuas in portis filiaë Sion.

Collecta

Deus, qui beátum Ioánnem, patrem nostrum,
spiritalém magístrum pópulo tuo tribuísti,
præsta, quæsumus,
ut, eius exémplic et doctrínis inníxi,
per viam fidei, spei et caritátis,
perféctam filiórum libertátem consequámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, oblatiõem nostram
in commemoratiõe beáti Ioánnis, patris nostri,
et, per visíbiles creatúras, quæ bonitátem tuam réferunt,
cæléstia nobis dona concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: S. Ioannes dux ad intimam cum Deo communionem.

Præsertim in missis votivis adhibenda, in quibus dicitur: in commemoratiõe. In sollemnitate autem dicitur: in sollemnitate.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

Ŕ. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Ŕ. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in . . . beáti Ioánnis
collaudáre, benedicere et prædicáre.
Cuius vita et doctrína
mystérium lucis et crucis Christi
mirábiliter illustráre dignátus es,

ut, eo ductore, homines
quæ desunt passionum Christi
in semetipsis adimplentes,
paschalis eiusdem gaudii
participes et testes in mundo exstarent.
Ipsam enim per montis ascensum noctisque caliginem,
ad intimam tecum communionem sublimasti,
ut divinam caritatem expertus,
dilectionis tuæ enarraret secreta
summumque Ecclesiæ lucrum
amorem prædicaret.

Unde et nos cum omnibus Angelis te laudamus,
iucunda celebratione clamantes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

**Vel præfatio: In Christo Pater omnia nobis donavit (p. 72). In loco: in sollemnitate dicitur: in
commemoratione.**

Ant. ad communionem

1 Cor 13, 13

Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria hæc;
maior autem ex his est caritas.

Post communionem

Ad fontem vitæ recreâti,
concede nobis, omnipotens Deus,
ut beati Ioannis, patris nostri, exempla sectantes,
mysterium quod in fidei nocte cognoscimus et veneramur,
revelata tandem facie in cælis contemplemur.
Per Christum Dominum nostrum.

5. DE S. TERESA A IESU INFANTE

Præter missam diei 1 octobris appositam, quæ sequitur adhiberi potest.

Ant. ad introitum

Circumdúxit eam Dóminus et dócuit;
et custodívit quasi pupíllam óculi sui.
Sicut áquila expándit alas suas,
et assúmpsit eam, atque portávit in húmeris suis.
Dóminus solus dux eius fuit.

Cf. Deut 32, 10-12

Collecta

Deus, qui regnum tuum humílibus parvulísque dispónis,
fac nos beátæ Terésia trámitem prósequi confidénter,
ut, eius intercessióne, glória tua nobis revelétur æténa.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

In beáta Terésia te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur officia.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Evangelium amoris parvulis revelatum est (p. 54).

Ant. ad communionem

Dicit Dóminus: Nisi convérsi fuéritis
et efficiámini sicut párvuli,
non intrábitis in regnum cælórum.

Mt 18, 3

Post communionem

Sacraménta quæ sumpsimus, Dómine,
illíus in nobis vim amóris accéndant,
quo beáta Terésia se tibi addíxit,
tuámque cúpiit miseratiónem pro ómnibus impetráre.
Per Christum Dóminum nostrum.

MISSA DEFUNCTORUM

MISSA PRO DEFUNCTIS O. N.

Pro fratre aut sorore Ordinis nostri defunctis dici potest, secundum tempus liturgicum, vel una ex Missis, quæ in Missali Romano proponuntur, vel hæc quæ sequitur.

Ant. ad introitum

Apériat ei Dóminus paradísi iánuam,
ut ad illam pátriam revertátur,
ubi mors non est, ubi ætérnum gáudium persevéra.

vel in T. P.

1 Thess 4, 14; 1Cor 15, 22

Sicut Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos qui dormiérunt
per Iesum addúcet cum eo.
Et sicut in Adam omnes vivificabúntur,
ita et in Christo omnes vivificabúntur, allelúia.

Collecta

Pro fratre

Deus, servórum tuórum glória,
concéde fratri nostro **N.** defúncto
qui, salutári Baptísmatis unda
et sacris Carméli vínculis nobíscum coniúctus,
Christum eiúsque Matrem est secútus,
ut te conditórem et redemptórem
possit perpétuo contemplári.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Pro sorore

Deus, servórum tuórum glória,
concéde soróri nostræ **N.** defunctæ
quæ, salutári Baptísmatis unda
et sacris Carméli vínculis nobíscum coniúcta,
Christum eiúsque Matrem est secúta,
ut te conditórem et redemptórem
possit perpétuo contemplári.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Propitiáre, quæsumus, Dómine,
fratri nostro **N.** defúncto, (soróri nostræ **N.** defúnctæ)
pro quo (qua) tibi hóstiam placatiónis offérimus,
et quia in hac vita tibi mansit fidélis,
apud te pia illi retribútio donétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Ant. ad communionem

Io 11, 25; 3, 36; 5, 24

Ego sum resurrectio et vita, dicit Dóminus.
Qui crédit in me, habet vitam ætérnam,
et in iudícium non venit, sed tránsiet de morte ad vitam.

vel in T. P.

Io 6, 51-52

Ego sum panis vivus, qui de cælo descénderi, dicit Dóminus.
Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
et panis, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita, allelúia.

Post communionem

Repléti, Dómine, vitálibus sacraméntis,
supplíciter deprecámur
ut, virtúte huius sacrificii,
frater noster **N. defúnctus** (soror nostra **N. defúncta**)
æténi fiat íncola Regni cum beáta Vírgine María
cuius se dedicávit obséquiis.
Per Christum Dóminum nostrum.

**SPECIMINA FORMULARUM
PRO ORATIONE UNIVERSALI**

1. IN SOLLEMNITATE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ MONTIS CARMELI

Admonitio sacerdotis

Fratres carissimi, in sollemnitate Mariæ Sanctissimæ, Matris Carmeli, Deum Patrem nostrum invocemus ut, Dómina Nostra pro nobis deprecante, grátias copiosas in omnes hómines effúdat.

℞. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro Sancta Ecclesia Dei, quæ in Maria Matrem et exemplum suum contemplatur, ut ab Illa Verbum divinum audire et hominibus adnuntiare discat, orémus.
2. Pro iis qui Mariam Matrem et Patronam invocant, ut refugium in rebus adversis et vitæ Christiænæ incitamentum in Illa invéniant, orémus.
3. Pro Ordine Carmelitarum Discalceatorum, ut in hodierno die festo penitus perdiscat sensum vocatiónis suæ, quæ in testimonio oratiónis et vitæ sanctitate innitur, orémus.
4. Pro omnibus iis qui scapulário utuntur signo consecratiónis et spei, ut præcipiantur Dóminæ Nostræ virtutes imitari et operibus suis verum testimonium evangélicum præbeant, orémus.

Oratio sacerdotis

Dómine, exáudi orationem Ecclesiæ tuæ atque, Beata Virgine María, Matre Montis Carmeli deprecante, ómnia quæ rogávimus nobis concéde. Per Christum Dóminum nostrum.

2. IN CELEBRATIONIBUS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

Admonitio sacerdotis

Orémus Deum, Patrem misericordem, qui providentia sua Mariam Matrem sollicitam nobis donávit.

℞. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro Ecclesia, ut, Mariæ exemplum imitando, operam dare sciat omnibus filiis in mundo dispersis, eos ad fidem generando et in unitatem colligendo, orémus.
2. Pro omnibus coniugibus Christiánis, ut eorum coniugium præclarum testimonium sit amoris oblativi, ad quem sacramentum nuptiale eos impellere valet, orémus.
3. Pro animabus consecratis, ut, Mariæ exemplum intuentes, omnibus præbere possint testimonium humanitatis magnanimæ et lætæ, orémus.
4. Pro nobis, qui huc una convenimus, ut a María nos humiliter Salvatoris Verbo committere instituámur, orémus.

Oratio sacerdotis

Súscipe, Pater, obsecratiónes filiorum tuorum qui tibi confidunt, atque, María Matre nostra pro nobis rogante, duc et rege peregrinationem nostram. Per Christum Dóminum nostrum.

3. IN CELEBRATIONIBUS SANCTÆ TERESIÆ A IESU

Admonitio sacerdotis

Cum Deo, misericórdi Patri, grátias agámus, qui Terésiam magístram oratiónis et ardéntem filiam Ecclésiæ nobis donávit, fidénter orémus.

℞. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro Pontífice nostro N., Episcopo nostro et omnibus pastóribus Ecclésiæ, ut, in fide confirmáti, pópulum Christiánum dúcere possint in itínere quod mandáta divina índicant, orémus.
2. Pro Ordine Carmelitárum, ut, exémplo Sanctæ Matris Teresiæ bene animátus, secúndum Evangélium in vita fratérna vivat, perseveráns in oratióne et sollícitus in Ecclésiæ serviéndo, orémus.
3. Pro moniálibus Ordinis Carmelitárum Discalceatórum, ut, unum exémpplar Teresiánum fidéliter servántes, in Ecclésia et in Ordine cor unum et ánima una sint, orémus.
4. Pro nobis qui divínis mystériis intérsumus ut, Verbum servántes quod audívimus, servi et testes fidéles Regni Dei fiámus, orémus.

Oratio sacerdotis

Miséricors Pater, numquam désinis omnes ad communióne Tecum vocáre; fac, quaésumus, ut semper in conspéctu Tuo vivámus. Per Christum Dóminum nostrum.

4. IN CELEBRATIONIBUS SANCTI IOANNIS A CRUCE

Admonitio sacerdotis

Fratres caríssimi, orémus fidénter Deum qui nobis ómnia revelávit et Fílium suum Verbum donávit.

℞. Exáudi nos, Dómine

Intentiones

1. Pro Ecclésia Dei, ut in mundo benignitátis et misericórdiæ Christi testimónium præbeat, orémus.
2. Pro iis qui lumen fidei non habent, pro iis qui Deum quærunt, ut Dóminus, qui cuiúsvis doni fons est, eos lúmine suo misericórdi attingat et servet, orémus.
3. Pro Familia Carmelitárum, ut exémplo et intercessióne Sancti Ioánnis a Cruce confirmétur in persecúenda vocatióne sua ad communióne cum Deo et ad benévola contemplatióne eius vultus, orémus.
4. Pro nobis qui hic ádsumus, ut Dóminus nobis præstet gáudium cordis húmilis, admiratióne cordis puri, gratam memóriam páuperum et humílium, orémus.

Oratio sacerdotis

Deus virtútum, Pater noster, qui nobis dedísti Sanctum Ioánnem a Cruce discípulum amántem Christi, auge nobis desidérium Tui et éffice ut in Te uno pacem inveniámus. Per Christum Dóminum nostrum.

5. IN CELEBRATIONIBUS SANCTÆ TERESIÆ A IESU INFANTE

Admonitio sacerdotis

Orémus Deum, fontem sapiéntiæ, qui humílibus et párvulis mystéria sua revélat.

℞. Dona nobis, Pater, sapiéntiam cordis.

Intentiones

1. Pro Sancta Ecclesia, ut, donum salutis humíliter et fidénter accipiéndó, grátia et remissiónis instruméntum magis magisque fiat, orémus.
2. Pro pópulis qui bello et calamitátibus laniántur, ut omnis homo credat pacem a conversióne cordis incípere, ut a nímio amóre sui ad fraternitátem atque a vi ad reveréntiam hóminis tránseat, orémus.
3. Pro párvulis et maxime egénis, ut subsidium et fervor auxiliíi gratuítii unicuíque præbeátur, orémus.
4. Pro iis qui Evangélium propágant, ut ipsórum fervor apostólicus amore flagret atque oratióibus et sacrificiis ómnium Christifidélium sustineátur, orémus.
5. Pro nobis qui huc una convénimus, ut, cum fidénter vivámus et dilectióne filiáli nos committámus Amóri tuo misericórdi, semper fidéles et ánimo grato simus, tam in témpore tentatiónis quam in hora lætitiæ, orémus.

Oratio sacerdotis

Miséricors Pater, infirmitáti nostræ opituláre, quaésumus, et, sancta Terésia a Iesu Infante pro nobis intercedénte, deprecatiónes nostras exáudi. Per Christum Dóminum nostrum.

6. IN CELEBRATIONIBUS SANCTORUM ET BEATORUM ORDINIS CARMELITARUM

I

Admonitio sacerdotis

Fratres caríssimi, in die festo **NN.** invocémus Patrem, fontem omnis sanctitátis, ut Ecclésiám donis suis ímpleat.

℟. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro pópulo Dei, ut, vocatióem baptísmatis sui fideliter servádo et se dócilem Spíritus Sancti mótibus præbéndo, crescat in sanctitáte, orémus.
2. Pro ómnibus iis qui persecutiónes et tribulatiónes propter Evangélium patiúntur, ut Spíritus consolatiónis et fortitúdinis solácium et auxílium iis præbeat, orémus.
3. Pro púeris puellisq; et ómnibus adulescéntibus, ut veritátem puro liberóque corde quærant, labóres et incómmoda perferéndo, ut artam viam Evangélii sequántur, orémus.
4. Pro Famíliá nostra religiósa, ut in Ecclésiá semper testimónium præbeat vocatiónis suæ ad adorándum et laudándum Deum vivéntem, orémus.

Oratio sacerdotis

Réspice benígne, Pater, hanc Famíliam tuam et quícquid fidénter a Te quærit, ei dona. Per Christum Dóminum nostrum.

II

Admonitio sacerdotis

Deum, Patrem nostrum, invocémus, ut exémplo et intercessióne **NN.** concédatur nobis ut vivámus oboediéntes vocatióni Baptísmatis nostri.

℟. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro Ecclésiá, in qua filii Dei sumus, ut Deum toto orbe terrárum gloríficet et fúlgeat propter claritátem testimónii sui, orémus.
2. Pro toto orbe terrárum, ut avertátur flagéllum siccitátis, famis, violéntiæ et belli, ita ut nova ætas prosperitátis et pacis instaurétur, orémus.
3. Pro ómnibus Christiánis, præsertim pro consecrátis, ut vocatióem suam sanctíssime vivant et mundo præbeant testimónium veræ et plenæ oboediéntiæ mandáto amóris, orémus.
4. Pro nobis, ut pæniténtia adimpleámus ea quæ in carne nostra desunt passiónum Christi, ita ut partícipes simus cum Christo Resurrectiόnis glóriæ, orémus.

Oratio sacerdotis

Fac, Dómine, ut in Famíliá tua refúlgeat lux Vultus tui, ut toto corde Legi tuæ adhæréscat et efficere possit omne bonum quod Tu ei súbicis. Per Christum, Dóminum nostrum.

7. IN CELEBRATIONIBUS PRO DEFUNCTIS

I

Admonitio sacerdotis

Fratres caríssimi, orémus Deum, Patrem Omnipoténtem, qui Iesum Christum Fílium suum a mórtuis suscitávit, atque pacem et salútem implorémus pro vivis et defúntis.

℞. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Pro pópulo Dei, ut, resurrectione Christi illuminátus, ánimo fidéli et fidúciæ pleno advérsus eius lucem procedat, orémus.
2. Pro ómnibus fidélibus, ut eórum fides peccátum et mortem vincat, eórum sédula spes eos ad coelum addúcat, eórum caritas eos immútet in Christum mórtuum et a mórtuis suscitátum, orémus.
3. Pro defúntis Ordinis nostri, ut Deus eos admíttat ad contemplándum splendórem Vultus sancti Sui, orémus.
4. Pro nobis, fide et oratione coniúctis, ut Deus Regnum lucis et amóris suum nobis osténdat, orémus.
5. Ut frater noster N. (soror nostra N.), vocátus (vocáta) ad serviéndum Dómino in família Montis Carméli, adsídeat nunc aetérno convívio, orémus.

Oratio sacerdotis

Dómine, fac ut propter orationem nostram animæ fratrum defunctorum glóriæ tuæ partícipes sint. Per Christum Dóminum nostrum.

II

Admonitio sacerdotis

Fratres caríssimi, orémus Deum, Patrem Omnipoténtem, qui Iesum Christum Fílium suum a mórtuis suscitávit, atque pacem et salútem implorémus pro vivis et defúntis.

℞. Exáudi nos, Dómine.

Intentiones

1. Ut Dóminus miséricors pópulum Christiánum in fide et in Ecclesiæ unitáte confirmet, orémus.
2. Ut Dóminus Iesus súscitet in novíssimo die fratres et soróres defúntos qui in baptísmate vitæ aetérnæ germen accepérunt, orémus.
3. Ut Dóminus, qui vitæ et morti præest, concédatur animábus propinquórum nostrórum et ómnium qui nobis bene fecérunt praémium labórum, orémus.
4. Ut Deus, ómnium consolatiónum áuctor, solácium et auxiliúm præstet frátribus qui dolore afficiúntur, orémus.
5. Ut Deus omnípotens et miséricors in Regnum lucis pacisque suum nos omnes accípiat qui hic ádsumus, orémus.

Oratio sacerdotis

Exáudi, Pater benígne, preces quas pro frátribus et soróribus nostris defúntis Tibi adhibémus, et ómnibus misericórdiam tuam dona. Per Christum Dóminum nostrum.

INDICES

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM

Albertus a Drepano, presbyter, <i>7 augusti</i>	43
Albertus Hierosolymitanus, episcopus et legislator O. N., <i>17 septembris</i>	52
Albertus Magnus, episcopus et Eccl. doctor, <i>13 novembris</i>	63
Alphonsus Maria a S. Spiritu Mazurek, presbyter, et socii, martyres, <i>12 iunii</i>	24
Andrea Corsini, episcopus, <i>9 ianuarii</i>	9
Angelus Maria Prat Hostench, Luca a S. Iosepho Tristany Pujol, presb., et socii, mart., <i>4 maii</i>	17
Anna a Iesu Lobera Torres, virgo, <i>25 novembris</i>	67
Anna a S. Bartholomæo, virgo, <i>7 iunii</i>	23
Apollinaris, episcopus et martyr, <i>18 iulii</i>	35
Baptista Spagnoli, presbyter, <i>17 aprilis</i>	13
Beda Venerabilis, presbyter et Eccl. doctor, <i>24 maii</i>	20
Birgitta, religiosa, <i>19 iulii</i>	35
Caietanus, presbyter, <i>3 augusti</i>	42
Cyriacus Elia a S. Familia Chavara, presbyter, <i>4 ianuarii</i>	7
Damasus I, papa, <i>10 decembris</i>	69
Dionysius a Nativitate, presbyter, et Redemptus a Cruce, religiosus, martyres, <i>29 novembris</i> ..	68
Elia a S. Clemente Fracasso, virgo, <i>29 maii</i>	22
Elia pater noster, propheta, <i>20 iulii</i>	36
Elisabeth a S.ma Trinitate Catez, virgo, <i>8 novembris</i>	62
Elisæus, propheta, <i>14 iunii</i>	25
Francisca de Ambosia, religiosa, <i>5 novembris</i>	59
Franciscus a Iesu Maria Iosepho Palau y Quer, presbyter, <i>7 novembris</i>	61
Gregorius VII, papa, <i>24 maii</i>	20
Henricus de Ossó y Cervelló, presbyter, <i>27 ianuarii</i>	10
Henricus, <i>10 iulii</i>	28
Hildegardis Bingensis, virgo et Eccl. doctor, <i>18 septembris</i>	53
Hubertus a S. Claudio Gagnot, Leonardus Duverneuil, Michael Aloysius Brulard, presbyteres, et socii, martyres, <i>18 augusti</i>	46
Ioachima de Vedruna, religiosa, <i>22 maii</i>	19
Ioannes a Cruce pater noster, presbyter et Eccl. doctor, <i>14 decembris</i>	71
Ioannes Soreth, presbyter, <i>28 iulii</i>	41
Ioseph de Calasanz, presbyter, <i>23 augusti</i>	47
Iosepha Naval Girbés, virgo, <i>24 februarii</i>	12
Leonardus Duverneuil, Michael Aloysius Brulard, Hubertus a S. Claudio Gagnot, presbyteres, et socii, martyres, <i>18 augusti</i>	46
Luca a S. Iosepho Tristany Pujol, Angelus Maria Prat Hostench, presb., et socii, mart., <i>4 maii</i>	17
Ludovicus Martin et Maria Azelia Guérin, coniuges, <i>12 iulii</i>	29
Ludovicus, <i>23 augusti</i>	47
Maria a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García, Maria a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero et sociæ, virgines et martyres, <i>24 iulii</i>	39
Maria a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García, Teresia a Iesu Infante et S. Ionne a Cruce García et Maria ab Angelis a S. Iosepho Voltierra Tordesillas, virgines et martyres, <i>24 iulii</i> ..	74
Maria a Iesu Crucifixo Baouardy, virgo, <i>25 augusti</i>	48
Maria a Iesu López de Rivas, virgo, <i>11 septembris</i>	51
Maria a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero, Maria a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García et sociæ, virgines et martyres, <i>24 iulii</i>	39
Maria a Sacratio a S. Aloysio Gonzaga Moragas Cantarero, virgo et martyr, <i>16 augusti</i> ..	75
Maria ab Angelis Fontanella, virgo, <i>16 decembris</i>	73

Maria ab Incarnatione Avrillot, religiosa, <i>18 aprilis</i>	14
Maria ab Angelis a S. Iosepho Voltierra Tordesillas, Maria a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García et Teresia a Iesu Infante et S. Ioanne a Cruce García García virgines et martyres, <i>24 iulii</i> 74	
Maria Azelia Guérin et Ludovicus Martin, coniuges, <i>12 iulii</i>	29
Maria Candida ab Eucharistia Barba, virgo, <i>14 iunii</i>	26
Maria Eugenius a Iesu Infante Grialou, presbyter, <i>4 februarii</i>	11
Maria Felicitas a Iesu Sacramentato Guggiari Echeverría, virgo, <i>28 aprilis</i>	16
Maria Iosephina a Iesu Crucifixo Catanea, virgo, <i>26 iunii</i>	27
Maria Magdalena a Verbo Incarnato de' Pazzi, virgo, <i>25 maii</i>	21
Maria Mirabilia a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, virgo, <i>11 decembris</i>	70
Maria Teresia a S. Iosepho Tauscher, virgo, <i>30 octobris</i>	58
Maria Virgo de Monte Carmelo, patrona et titularis O. N., <i>16 iulii</i>	32
Maria Virgo, Mater Divinæ Gratiae, <i>23 iulii</i>	38
Michael Aloysius Brulard, Leonardus Duverneuil, Hubertus a S. Claudio Gagnet, presbyteres, et socii, martyres, <i>18 augusti</i>	46
Nonius a S. Maria Alvares Pereira, religiosa, <i>6 novembris</i>	60
Omnes defuncti O. N., <i>15 novembris</i>	65
Omnes Sancti O. N., <i>14 novembris</i>	64
Petrus Thomas, episcopus, <i>8 ianuarii</i>	8
Raphael a S. Iosepho Kalinowski, presbyter, <i>19 novembris</i>	66
Redemptus a Cruce, religiosus, et Dionysius a Nativitate, presbyter, martyres, <i>29 novembris</i> ..	68
Robertus Bellarmino, episcopus et Eccl. doctor, <i>18 septembris</i>	53
Simon Stock, presbyter, <i>16 maii</i>	18
Teresia a Iesu Fernández Solar, virgo, <i>13 iulii</i>	30
Teresia a Iesu Infante et S. Ioanne a Cruce García García, Maria a Columna a S. Francisco Borgia Martínez García et Maria ab Angelis a S. Iosepho Voltierra Tordesillas, virgines et martyres, <i>24 iulii</i>	74
Teresia a Iesu Infante, virgo et Eccl. doctor, <i>1 octobris</i>	54
Teresia a Iesu mater nostra, virgo et Eccl. doctor, <i>15 octobris</i>	56
Teresia a Iesu: in transverberatione cordis, <i>26 augusti</i>	49
Teresia a S. Augustino Lindoine et sociæ, virgines et martyres, <i>17 iulii</i>	34
Teresia Benedicta a Cruce Stein, virgo et martyr, <i>9 augusti</i>	44
Teresia Margarita a S. Corde Iesu Redi, virgo, <i>1 septembris</i>	50
Teresia Maria a Cruce Manetti, virgo, <i>23 aprilis</i>	15
Titus Brandsma, presbyter et martyr, <i>27 iulii</i>	40
Xystus II, papa, et socii, martyres, <i>3 augusti</i>	42

INDEX PRÆFATIONUM

1. De B. Maria Virgine:	
De maternitate spiritali beatæ Mariæ Virginis	33
B. Maria Virgo, mater et exemplar sanctitatis	79
2. De S. Teresia Iesu:	
De Christo omnis sanctitatis fonte	57
De S. Teresiæ charismate in Ecclesia	82
3. De S. Ioanne a Cruce:	
In Christo Pater omnia nobis donavit	72
S. Ioannes dux ad intimam cum Deo communionem	84
4. De S. Teresia Iesu Infante: Evangelium amoris parvulis revelatum est	54
5. De S. Teresia Iesu (Fernández Solar): Mystera Christi et sacrificium laudis	30
6. De S. Elia: Propheta Elias Dei amicus et apostolus	39

INDEX GENERALIS

DECRETA

Dicasterium Pro Cultu Divino Et Disciplina Sacramentorum	2
Definitorium Generalis O.C.D.	2

CALENDARIUM	3
-------------------	---

PROPRIUM DE SANCTIS ET BEATIS

Ianuarus	9
Februarius	13
Aprilis	15
Maius	19
Iunius	25
Iulius	30
Augustus	44
September	52
October	56
November	61
December	71
Appendix	76

MISSÆ VOTIVÆ

1. De Iesu Infante	80
2. De Beata Maria a Monte Carmelo	81
3. De S. Teresia a Iesu, matre nostra	84
4. De S. Ioanne a Cruce, patre nostro	86
5. De S. Teresa a Iesu Infante	88

MISSA DEFUNCTORUM

Missa pro defunctis O. N.	90
--------------------------------	----

SPECIMINA FORMULARUM PRO ORATIONE UNIVERSALI	92
--	----

INDICES

Index alphabeticus celebrationum	98
Index præfationum	99
Index generalis	100